Rob.t Davies

# VITA
## REGINALDI POLI,
S. R. E. Cardinalis.
E T
*Cantuarienſis Archiepiſcopi*;
Italice Conſcripta
A Ludovico Bacatello,
Archiepiſcopo Raguſino, ipſius Familiari.
Latine Reddita.
Ab Andrea Dudithio Epiſcopo Tininienſi.

Juxta Exemplar *Venetiis* excuſum, An. MDLXIII.

*LONDINI*,
Recuſa impenſis *Jacobi Adamſon*, ad inſigne Angeli Coronigeri in Cœmeterio D. *Pauli*. MDCXC.

UMI

# TYPOGRAPHUS Lectori Salutem.

*EN tibi, Lector Erudite, duplicem Commentarium, e Prælo noſtro editum, & Argumenti gravitate & Exemplarium raritate ſummopere commendatum. Illum e Tenebris eduxiſſe, & in Lucem iterum mandaſſe, Orbi Erudito non ingratum, ac mihimet ipſi non inutile fore ſpero.*

*Quæ primum tenet Locum, Vita Cardinalis Poli a pertinaciſſimo quidem conſcripta eſt Pontificio:*

*Qui Reformationis noſtræ Duces plurimis calumniis proſcidit, Hiſtoriamque mendaciis obfuſcavit; quæ ſi fraudem Lectori facturam augurari poſſem, in Lucem majorem donaſſe piaculum duxiſſem. Nollem autem de Lectoris ingenio adeo ſiniſtre ſentire; ut in hiſce rebus inanibus potius Itali Scriptoris criminationibus, quam certioribus noſtrorum Hiſtoricorum narrationibus fidem adhibiturum putarem.*

*In margine Exemplaris, quo in Editione iſthac uſus ſum, compare-bant paſſim rerum præcipuarum Summulæ ſeu Compendia quædam,*

*ab*

[ ]

ab erudito quodam Lectore olim adnotata. Ista minime inutilia fore ratus, in marginem Editionis meæ transtuli.

Succedit Disceptatio inter Legatos Angliæ & Galliæ in concilio Constantiensi de utriusque Gentis dignitate. Illam si glorioso Titulo commendare vellem; Supplementum Conciliorum vocare possem. Certe omnium Conciliorum Collectorum notitiam hactenus fugit. Editio ejus Lovaniensis, quæ sola prodiit, mendis turpissimis passim scatet; quas sine Codicis Manuscripti subsidio emendare voluisse haud minus impossibile quam teme-

*temerarium fuisset. Editionem itaq; illius correctam minime spondeo; neque magis Anglicorum Legatorum Geographiam in me tuendam suscipio. Istos forsan ridebunt, me culpabunt Lectores. Illi tamen victoriam in Concilio tulerunt; meque venia haud prorsus carituram esse non despero.*

## POSTSCRIPTUM.

*POstquam utrumq; Opusculum prælo jam eduxeram; facta est mihi copia Codicis Manuscripti Tractatus posterioris ex Bibliotheca Collegii S. Trinitatis Cantab. Pigebat sane plurimum, ita mihi*

mihi antea non contigisse. Quum vero id minime datum fuerit; feci quod potui. Editionem meam cum Codice MS. contuli, errata correxi, omissa supplevi: Emendationes & Additamenta apposita ad finem mantissa congessi. Neque tamen ipse Codex Manuscriptus votis omnino satisfecit. Plures adhuc mendæ in parte Tractatus prioore manent ad medium usque paginæ 30ᵐᵃ. Eo usque enim, quæcunque habet Codex MS. quantum ex charactere & utriusque exemplaris concordia conjectari licuit, ex Editione Lovaniensi manu nupera conscripta sunt. Reliqua

liqua ad finem usque libri manu vetustiori atque ipsi Concilio Constantiensi ætate parum inferiori exarata sunt. Nonnihil tamen subsidii tulit ipsum partis prioris Apographum. Unicum mihi dicendum restat; Capitulum sc. prolixius, quod primum in Additamentis locum tenet, & Anglorum Oratorum Argumento præfigendum notatur, non tam partem Argumenti videri, quam Summam seu Recapitulationem ejus seu dicti seu dicendi, ad Regem Angliæ ab Oratoribus transmissam.

# VITA
# Reginaldi Poli,
## BRITANNI, S. R. E.
## CARDINALIS,
## ET
## Cantuarienſis Archiepiſcopi.

VITAM Reginaldi Poli Cardinalis, cum mea ſponte incitatus; tum rogatu multorum, quibus id negare non poteram, impulſus; literis mandare inſtitui. Quam quidem ita perſequar, ut ea tantum commemorem, quæ aut ipſe vidi, ac pro ea, quæ mihi multos annos cum illo interceſſit, familiaritate, & conſuetudine, ipſo narrante audivi; aut quæ ex eorum ſermonibus accepi, qui digni ſunt omnino, quorum verbis, ac teſtimonio fides habeatur. Illud autem perſuaſum habeo, ejuſmodi me legentium

oculis imaginem, quanquam exiguo, ac nullo pene factam artificio, propositurum, quæ omnibus iis, quæ in Christianum hominem cadere possunt, virtutibus ornata, & expolita appareat. Tantas in hunc Deus hominem ex uberrimo illo benignitatis suæ fonte divinorum munerum divitias transfuderat. Ac quoniam hæ, quas dico, virtutes in clarissimo magnæ nobilitatis veluti domicilio erant collocatæ; non alienum a re proposita fuerit, si ante, quam ad cetera progrediamur, nonnulla de ipso Britanniæ regno, deque illorum hominum nobilitate, unde Poli stirps, ac progenies ducta est, paulo altius repetentes, breviter, ac strictim attigerimus. Ac primum quidem constat, in Britannia insula, quæ post, Angliæ nomen accepit, Britannos populos imperium tenuisse. Qui reges etiam de sua gente, eosque nec paucos, nec obscuros habuerunt. In his fuit Arturus, de præclaris illis viris unus, quos a rotunda mensa vocavit antiquitas. Hujus res gestæ, ac laudes, apud veteres historiæ scriptores, atque etiam poetas magnopere celebrantur. Hunc qui post sunt consequuti Britanni, cum a prisca illa majorum suorum virtute deflexissent, ab Anglis, Saxoniæ populis devicti sunt. Postea, diviso

Arturus Rex.

A

viſo inter ſe illius inſulæ imperio, utrique ad Egeberti uſque ætatem regnaverunt. Egebertus Rex. Qui primus, pulſis Britanniæ regulis, totius inſulæ dominatum occupavit. Pulſi ab Anglis Britanni, relictis ſuis ſedibus, ad exteras nationes commigrarunt. Quorum pars tamen patria terra non excedentes, in montuoſa loca ſeſe receperunt, quæ ad ſeptentrionem vergunt. Eam inſulæ partem Walliam vocant; Wallia. quam etiamnum tenent; neque vero alia utuntur lingua, ac vetere illa a majoribus ſuis accepta; quæ ita a reliquorum ejus inſulæ populorum ſermone diverſa eſt, ut inter ſe minime intelligant. Atque hi quidem Walliæ populi tandem Angliæ regum imperio, ac ditioni ſeſe permiſerunt: neque tamen propterea non pari cum ceteris nobilitate cenſebantur. Apud hos, ut ipſorum annalibus eſt proditum, Arturi regis familia, & quaſi hæreditaria ſanguinis ſucceſſio quædam retinetur; cujus ſeries cum antea, tum his etiam temporibus magno ſtudio, ac diligentia ab illis annotari, & obſervari ſolet. Ad hunc Arturum Henrici VII, Angliæ regis, origi- Henricus VII. nem referunt; qui octogeſimo ſexto ſupra milleſimum, & quadringenteſimum ſalutis noſtræ anno, regno potitus eſt. Qua ex re magnam tum Angli, tum

Walliæ populi voluptatem perceperunt: alteri quod Richardi, qui tum regnabat tyrannidem odiſſent; alteri, quod illum jam illuxiſſe diem dicerent, quo ex regali, & generoſa Arturi ſtirpe prognatum regem aſpicerent. Hujus frater conſobrinus fuit Richardus, Reginaldi Poli Cardinalis pater: atque ita quidem paternum ejus genus a regio ſanguine ducebatur: maternum quoque eam habuit originem, ut hujus ætatis Angliæ reges magna neceſſitudine attingeret. Nam Edvardi IV, frater germanus fuit Georgius Clarentiæ Dux; ex quo nata eſt Margarita, Poli mater. Edvardus autem filiam reliquit Eliſabetham; quam Henricus VII uxorem duxit: ex eaque ſuſcepit Henricum VIII, qui relictum a patre regnum anno poſt Chriſtum natum M. D. IX. adivit. Huic pater, dum viveret, uxorem dedit Catharinam, Ferdinandi & Eliſabethæ, Hiſpaniæ regum, filiam; quæ antea Arturo fratri, natu majori, deſponſa fuerat. Sed hic quartum & decimum ætatis annum agens, mortem obierat. Ex hoc matrimonio, permiſſu ſedis Apoſtolicæ contracto, natus eſt Henricus, qui tres tantum menſes vixit; & Maria, quæ multis, ac permagnis fortunæ procellis diu jactata, ad extremum, ut poſt oſten-

Poli Pater.

Edvardus IV.

Poli Mater.

Henricus VIII.

demus,

demus, Angliæ regnum consecuta est; & Philippo, Caroli V. maximi, ac potentissimi Imperatoris filio nupsit. Henricus autem, & Catharina, qui tum conjugalem inter se amorem sancte colebant, cum neminem ex se, præter Mariam, supereſſe intelligerent, cui regnum deinceps traderent, omnes eo cogitationes, & curas converterunt, ut filia pie, atque honeste educaretur, regiisque imbueretur moribus. Ex omni autem nobilitate, mulierum nulla occurrit, quæ ipsis magis probaretur, & cui filiam rectius committi posse existimarent, quam Margaritæ, Poli matri, singulari prudentia, & gravitate fœminæ, in primisque religiosæ, quæ quidem cum regi ipsi, ut supra demonstratum est, consanguinitate juncta erat, tum Catharina magno animi studio, ac propensione in eam ferebatur. Regnum etiam ipsum ejus sanguini, qui pro suo matrimonio injuste fusus esset, deberi putabat. Nam cum Henricus VII, cum Hispaniæ regibus de Henrici filii, & ipsius Catharinæ matrimonio ageret, & propter tumultus quosdam, non ita pridem excitatos nonnullus ortus esset timor, ne Edvardus Varvichiorum Comes, Margaritæ frater, & Edvardi IV fratris filius, regni successionem aliquo modo ad se traheret;

propterea quod ad ipsum pertinere Angliæ regnum existimabatur, ob idque a Richardo patruo, puer adhuc, in custodiam inclusus fuerat; post etiam ob eandem causam ab Henrico VII asservabatur: in eam sententiam itum est, ut hic ante de medio tolleretur, quam Catharina ipsi Henrico nuberet. Quod ita, Henrici VII jussu, factum est. Hæc quidem, ut gesta erant, non ignorans Catharina, pro summa ipsius pietate, magnum ex hujus rei recordatione animo dolorem capiebat, ut aliquando hæc etiam illius vox excepta sit; acerbiorem sibi mortem futuram, nisi Margaritæ stirpi regni successio restitueretur. Quibus nimirum verbis ostendere videbatur, cupere se, ut filia sua uni alicui ex Margaritæ filiis, quos magno omnes amore complectebatur, in matrimonium collocaretur. His rationibus adducti reges, vehementer a Margarita, contenderunt, ut Mariæ erudiendæ curam susciperet, quam quidem illa cum in suam disciplinam recepisset, sanctissimis moribus, omnique virtutum genere, quæ regis filiam decerent, imbuit; sicuti postea res ipsa indicavit. Atque hæc quidem hactenus, ut, quanta fuerit Poli Card. vel paterni, vel materni generis nobilitas, ac splendor, intelligatur. Jam vero quam

Edvardus Comes Warwicensis ab Henrico VII. necatur.

exorsi

exorsi sumus, ipsius Poli vitam, aliquando pertexamus. Henricus VII cum Margaritæ fratem Edvardum, ut jam dictum est, necasset, idque unum spectaret, ut Angliæ regnum filio relinqueret, eorum studiis, & clientelis munitum, quos maxime sibi fideles existimabat, statuit Margaritam, Sarisburiæ Comitem alicui in matrimonium collocare, qui & fide, & necessitudine sibi junctus esset. Itaque Walliæ nobilitatem animo secum reputans, ea ex parte, ubi ipse natus erat, ex primariis viris unum delegit Richardum Polum, de quo supra demonstravimus, eique Margaritam uxorem dedit. Ex hoc matrimonio sex liberi susceptí, maris quatuor, fœminæ duæ. Natu maximus, qui ditionis paternæ hæreditatem adiit, Henrici, alter Arturi nomen accepit; tertius is, de quo nunc loquimur, Reginaldus; quartus Gofredus appellatus est. Hi omnes patri superstites, pueri adhuc in matris tutelam venerunt: ac filiæ quidem, matris cura, & diligentia, honeste in primis, sancteque educatæ, viris in Anglia summæ nobilitatis nuptui traditæ sunt. Natus est Polus anno M. D. mense Martio: mater tenellum adhuc, & literis, & moribus, quibus puerilis imbui ætas solet, diligenter instituendum curavit. Postea vero ætate jam firmiore adolescentulum

Nativitas Card. Poli.

Ieſcentulum in gymnaſium miſit, quod Londino ſeptem paſſuum millibus aberat, & Carthuſianorum collegio junctum erat, locum in primis amœnum, & religioſum. Ibi jacto ex Grammaticis præceptionibus fundamento, ad celebrem Oxonienſem Academiam miſſus, in dialecticæ, & philoſophiæ ſtudiis brevi eos progreſſus fecit, ut pene puer adhuc magna cum laude atque omnium admiratione publicam & ſolemnem quandam diſputationem, ſicuti mos eſt, per aliquot dies habuerit. Thoma Linacro, & Gulielmo Latimero doctiſſimis hominibus, liberalium artium magiſtris, ac doctoribus uſus eſt. Ac cum ætate jam aliquantum proceſſiſſet, XIX agens annum, magno Italiæ deſiderio accenſus, quod ibi in Academiis humaniores literas, quibus ipſe valde deditus erat, in honore eſſe audiviſſe, bona regis, ac matris ſuæ venia, Patavium profectus eſt. Rex eum annua ad quingentos aureos penſione, & illa quidem ſuis vectigalibus impoſita, juvit. Habebat præterea ſuos fructus annuos, qui mille aureorum ſummam complebant. Hos magna ex parte reddebat illi Oxonienſe quoddam ſacerdotium ( Decanatum appellant) cujus omne jus Richardus Paceus, familiaris ejus, ipſi tradiderat. Itaque

Præceptores Poli.

P

Patavii

Patavii & honorificas ædes conductas habuit & satis commodam familiam alebat: quæ autem illi prima, & antiquissima cura fuit, ut in præstantissimi cujusque ejus Academiæ viri amicitiam, & consuetudinem veniret, præstanti ingenii indole, & singulari morum suavitate facile est assecutus. Omnibus enim charissimus, jucundissimusque erat, atque ejus domus ab optimo, & eruditissimo quoque celebrabatur. Fuit ei magna præter ceteros cum Petro Bembo, clarissimo viro, familiaritas; qui tum Roma, valetudinis curandæ gratia, Patavium sese receperat. In Philosophiæ studiis doctore usus est Nicola Leonico, Philosopho doctissimo, & græcæ linguæ cognitione præstantissimo; eumque Platonis, & Aristotelis libros non paucos græce interpretantem audivit. Alebat domi suæ viros aliquot, omni doctrinæ genere ornatissimos. In his erat Christophorus Longolius, Belga, in eloquentiæ studiis tum clarissimus; Thomas item Lupsetus Anglus, vir eloquentia, doctrina, pietate, si quis in anglia alius, magnopere excellens. Atque his ille magistris, & studiorum sociis usus, in omni scientiæ genere & linguarum cognitione maximos progressus fecit. Quod quidem cum alia ejus scripta, tum etiam Longolii, qui apud

pud ipſum mortuus eſt, vita ab eo literis mandata ſatis declarat; quæ etiam typis una cum ipſius Longolii libris impreſſa eſt. Hunc vitæ curſum tenens, non Patavii modo, ſed Venetiis, atque adeo tota Italia, & extra Italiam quoque, magnam eſt nominis celebritatem brevi conſequutus. Quod ſane ex multorum illius ætatis doctrina præſtantium hominum ſcriptis apparet; in primis autem ex Bembi, Sadoleti, Eraſmi, atque ejus etiam, quem paulo ante nominavimus, Longolii epiſtolis perſpici poteſt. Itaque cum jam eximiam omnibus diſciplinæ cognitionem, & præclaram nominis ſui famam adeptus eſſet, poſt quintum annum, quum in Italiam venerat, a ſuis domum revocatus, non ante redire voluit, quam Romam viſeret. Augebat hanc viſendæ urbis cupiditatem Jubilæus annus, qui in illum ipſum annum inciderat. Quare iter ingreſſus, ſuam illam profectionem ita ſtudioſe celare non potuit, quin & Florentiæ, & aliis quoque in locis perhonorifice acciperetur, atque etiam dona ei, & munera darentur. Quod quidem unde eveniret, non ſatis ille tum animadvertere poterat. Poſtea vero, ut mihi narravit ipſe, Joannis Matthæi Giberti, Veronenſium Epiſcopi in primis opera id factum eſſe cognovit. Qui non in

ipſo

ipſo tantum itinere, ſed multo etiam magis Romæ, ut magni honores ei haberentur, curaverat. Romæ non diu moratus eſt; neque vero in Pontificis Max. qui tum Clemens VII erat, curia conſpiciendum ſe præbuit, ſed loca religioſa cum pie viſiſſet, in patriam ad ſuos properavit. Reverſus, magna & Regem ipſum, & Reginam, atque adeo totam inſulam, propter doctrinam, & amabiliſſimos mores, quos ex Italia deportaverat, voluptate perfudit; omnibuſque gratiſſimus fuit ejus reditus. Sed ne hac quidem ille re permoveri ſic potuit, ut ſtudiorum ſuorum curam ulla ex parte deponeret; Ac veterem habitationem memoria repetens, quæ ſibi puero ad Carthuſianum collegium contigerat, dedit operam, ut Regis permiſſu ea domus ſibi concederetur, quam inſigni vir pietate & doctrina Joannes Coletus exædificaverat. Obtinuit, ac duos inibi annos jucunde conſumpſit. Poſtea vero cum regis Henrici animus immoderatis cupiditatibus laborare cœpiſſet, atque improborum hominum oratione impulſus, peſtilentiſſimum illud conſilii quaſi venenum hauſiſſet, ut, Catharina repudiata, aliam uxorem duceret; imminentes toti Angliæ tempeſtates longe proſpiciens Polus abeundum ſibi, ac tantis ſeſe fluctibus in tem-

Polus Lutetiam proficiscitur.

tempore eripiendum existimavit. Itaque simulata in Academiam Parisiensem proficiscendi cupiditate, tum a Rege ipso, tum a matre illuc abeundi veniam impetravit. Non ita multo post Henricus, ut haberet quo Improbum illud suum repudiandæ uxoris consilium fulcire, ac sustentare posset, ad celeberrimas quasque Academias misit, qui doctorum hominum ea de re opiniones, ac judicia exquirerent, eosque ad comprobandam sententiam suam omni ratione pertrahere conarentur. Scripsit etiam Lutetiam, & Polo eandem legationem per literas impositit. Qui quidem, cum nondum se, quam fugiebat, tempestatem evasisse, neque, ut arbitrabatur, portum tenere animadverteret, hac re vehementer perculsus est. Sed tamen omni, ut solebat, adhibita modestia, ad excusationem confugit; se minime idoneum ad eam rem esse. Neque enim aut eum rerum usum habere, aut id studiorum genus sequutum esse, quo in primis ad ejusmodi rem tractandam, & perficiendam opus esset. Hac ille excusatione non quidem eam legationem a se depellere potuit, sed tamen illud assequutus est, ut collegam ei Rex unum ex consiliariis suis submitteret, atque adjungeret, cui totius negocii ipse curam permisit. Post, cum Lutetiæ annum commoratus

Legatio a Rege per literas Polo imponitur.

ratus esset, amicorum, & consanguineorum, qui ipsum domum ad suam illam Carthusiensem habitationem revocabant, monitis, ac precibus obsequutus, ut omnem de se suspicionem ex animo Regis amoveret; in patriam ad pristinam vitæ consuetudinem rediit, bienniumq; apud Carthusiensium collegium quiete, ac tranquille exegit. Cum autem indies magis cresceret Regis furor, qui ejus animum, ut nuncium Reginæ remitteret, perpetuis quibusdam stimulis incitabat, admonitus est Rex, si eorum, qui in Anglia a sua sententia abhorrerent, voluntatis sibi adjungi vellet, illud inprimis curaret, ut ad suas partes Polum pertraheret. Fieri enim posse, ut hujus juvenis auctoritate, & existimatione magna pars nobilitatis adducta, in eam, quæ Regi placeret, sententiam transiret. Probato Rex consilio per eos, qui Polo propinquitate, ac necessitudine maxime conjuncti essent, rem aggreditur; simulque si suam sententiam probet, optionem dat, ut, utram malit ex duabus Ecclesiis, quæ tum forte vacabant, Eboracen. & Wintonien. sibi deligat. Atque hujus quidem rei causa Rex quatuor menses Wintonienſem Episcopatum, post etiam, Eboracensem Archiepiscopatum penes se retinuit. Amplissima hæc tum erant,

erant, maximeque opulenta ſacerdotia. In ſingulos enim annos ex ſingulorum fructibus XXX millia aureorum colligebantur, atque eo etiam amplius. Pertentarunt Poli animum fratres, & alii, quibus ad eam rem adminiſtris Rex utebatur. Contra ille, quam maxime poterat, nitebatur: ſed vehementer contendentibus ſuis, atque urgentibus, ut aliquam tandem rationem iniret, qua & Regi ipſi, a quo tantopere diligeretur, ſatisfacere poſſet, & ejus iram, quæ toti familiæ futura eſſet pernicioſa, averteret, cum multa prius excuſaſſet, ad extremum ita reſpondit, Qui poſſum ego voluntati veſtræ morem gerere, & contra meam ipſe mentem, ac conſcientiam facere? ſed tamen curabo, quantum potero, ut omnibus a me ſatisfactum eſſe videatur. Hac illi reſponſione recreati, continuo Regi Polum ad ejus ſententiam pertractum renunciant. Magnam ex eo nuncio Rex voluptatem cepit, ac quoties ita accideret, ut Polum videret, hilariore multo quam antea, ac benigniore vultu eum excipiebat. In hac tam difficili, tamque periculoſa deliberatione dum verſaretur Polus, aſſidue ad Deum confugiebat, ſeque ut tali in tempore ne deſereret, precabatur; & cum in animum inducere non poſſet, ut in tam iniqua, &

con-

contra leges tum humanas, tum divinas ſuſcepta cauſa Regi aperte aſſentiretur, eam tamen rationem inveſtigare inſtituit, qua neque ipſi Regi adverſaretur, & conſcientiæ ſuæ aliquo modo ſatisfaceret. Eam inveniſſe, cum ſibi videretur, humana prudentia duce potius, quam veritate, nemini ſua ſententia patefacta, cum extrahere tempus non poſſet amplius, Regem adit, & cum ea pararet dicere, quæ cogitarat (O mirificum caſum, nec niſi a voluntate Dei profectum) repente illi ſic hæſit lingua ut aliquandiu nullum verbum effari poſſet. Tandem vero cum loqui cepiſſet, ejuſmodi fuit ejus oratio, ut alia omnia diceret, ac meditatus venerat. Omni enim remota aſſentatione, ut bonum virum, ac pium decebat, ſuam libere ſententiam, ſumma tamen adhibita modeſtia, Regi aperuit, & magna cum benevolentiæ & obſervantiæ erga illum ſuæ teſtificatione ipſum oravit, atque obteſtatus eſt, nequid præpropere, nequid temere ageret, neu dignitatem omnem, & quam ad eum diem maximam adeptus eſſet, gloriam adjicere penitus vellet, & quod caput erat, animam ipſam perdere. Initio Rex, quod ſecum illum ſenſurum putaret, avide expectarat; venientem perhumaniter, atque hilare acceperat familiariter etiam

in

in cubiculum ſeduxerat: deinde vero, ut ip
ſe mihi Polus narravit, ejus oratione vald
commotus, vultu commutato, manu etian
ad pugionem e zona pendentem appoſita
neque tamen mali præterea quidquam ag
greſſus, reſpondit, ſe ea de re poſtea de
liberaturum. Ita magna concitatus ira
Polum a ſe dimiſit; neque eum prætere
accerſivit. Quibuſdam autem ex ſuis nar
ravit, ita ſe Poli oratione exarſiſſe, ut in
ter loquendum eum interficere cogitarit
ſed illa, qua is in loquendo utebatur ſim
plicitate, & animi integritate prohibitum
ab hoc ſeſe facinore continuiſſe. Ita vero f
erga illum animo eſſe affectum, ut etſi gra
viter ab eo offenſum ſe eſſe intelligeret, no
tamen adduci poſſet, ut odio ipſum habe
ret. Hac Regis offenſione permotus Polus
cum aliorum etiam in ſe animos ea r
concitatos videret, faciendum ſibi omni
no putavit, ut ante, quam pejore eju
res loco eſſe inciperent, ex Anglia exce
deret, atque in aliquam, ut antea, Ac
demiam ſeſe reciperet. Itaque re cum
quibuſdam, apud Regem gratioſis homi
nibus, communicata, eorumq; auxilio im
plorato, per eos conſequutus eſt, ut
quo vellet, abſcedere ſibi liceret. Præ
terea ita ſe Rex ei benignum præbuit,
ut penſionem, quam antea illi conſti
tuerat, integram relinqueret. Matr
igitu

gitur multa ſalute, ſuiſque dicta, in Galliam tranſmiſit, & Avenionem Galliæ Narbonenſis oppidum ſeceſſit. Id Ro. Pontificum juris, ac ditionis eſt, ac tum quidem liberalium artium ſtudiis magnopere florebat. Ibi Polus annum integrum commorari non potuit, propter ventoſi Cœli intemperiem, quam valetudini ſuæ incommodam ſenſerat. Quare Patavium, ubi & hominum in ſe benevolentiam antea expertus fuerat, & urbis ſalubritatem, remigravit. Eo tempore ego quoque Patavii literis operam navabam. Hinc ille Venetias nonnunquam ibat; neque tamen interea de ſummo divinarum literarum ſtudio, ad quas penitus cognoſcendas ſe totum dederat, quidquam remittebat. Ac tum hic, tum ibi, & doctrina, & bonitate præſtantium hominum, quorum conſuetudine plurimum utebatur, ſeſe oblectabat; a quibus ipſe quoque & amabatur, & fiebat plurimi. In his erat Petrus Bembus, Tryphon Gabrielius, M. Antonius Paſſerus cognomento Genua, Lampridius Cremonenſis, Lazarus Bonamicus Baſſianus, atque ejus generis complures alii. Ad eorum autem familiaritatem propenſior erat ipſe, familiariuſque illis utebatur, quos in primis colere pietatem animadvertiſſet.

Polus Avenionem proficiſcitur.

Patavium redit.

C Itaque

Itaque magnus ei præcipue interceſſit uſus cum Coſmo Gherio, Fanenſium Epiſcopo, in quo licet admodum juvene, cum literarum eximia quædam notitia, tum morum ſingularis probitas elucebat, ſummumque pietatis ſtudium omnibus illum vehementer commendabat; Marco item monacho, qui ſummam doctrinam cum ſumma pietate & religione conjunctam habebat, eumque Polus divinas literas explanantem aſſidue audiebat.

Erat præterea in ejus intimis, atque amiciſſimis Aloyſius Priolus, Patricius Venetus, vir ingenio, & literarum cognitione excellens; qui quidem Poli conſuetudine ita captus eſt, tantumque animi inductio, & amor erga illum apud ipſum valuit, ut tota vita eum ſequutus ſit, ac, niſi mors, ipſos inter ſe conjunctiſſime viventes disjungere, nihil potuerit. Sed de hoc poſterius. Venetiis autem Polus magnum uſum in primis habuit cum Gaſpare Contareno, clariſſimo viro; qui poſtea propter ſummam doctrinam & probitatem, in Cardinalium collegium cooptatus eſt, & cum Petro Caraffa, Archiepiſcopo Theatino, qui tum ibi, cum nonnullis, quos ſecum adduxerat vitam ad ſeveriorem Chriſtianæ pietatis ac diſciplinæ normam inſtituerat, ejus ſodalitatis

dalitatis, quæ etiamnum Theatina vocatur, auctor. Is postremo Pont. Max. Pauli IV nomine, creatus est. Ita Polus nunc Patavii, nunc Venetiis, vitam transigebat, assidueq; patriæ calamitates deplorabat, ad quas ne quid interim deesset, furiis quibusdam agitatus Rex, ut antea ab uxore, ita post etiam a sanctæ matris Ecclesiæ unitate, atque obedientia discessit. Neque vero hoc loco ejus furor, ac dementia substitit: ultra etiam progressus est, eoque tandem sceleris, atque impietatis devenit, ut novo, atque inaudito more nunc sibi titulum arrogaret, ut supremum Anglicanæ Ecclesiæ caput appellaretur, pœnamque læsæ majestatis, qua gravior nulla est, in eos constitueret, qui id approbare nollent. Jam vero ne hujus quoque novæ calamitatis expers Polus esset, quanquam longo terrarum intervallo aberat, Rex ei per literas mandat, ut suam de recenti hoc titulo sententiam ad se quamprimum perscribat. Hæ literæ quo celerius perferrentur, hujus tantum rei causa tabellarium concitato cursu in Italiam mittit. Ad Polum amici quoque, & qui Regi a consiliis erant, de eadem re diligenter scribunt. Hoc ille nuncio vehementer sane perturbatus est: nec enim, quorsum hæc spectarent, eum fugiebat.

Videbat, hos ſibi veluti laqueos tendi, qui-
bus implicatus in læſæ majeſtatis crimin
hæreret. Maximam Rex per id tempu
in bonos crudelitatem ob hanc ipſam cau
ſam exercebat: novo,atque horrendo ſup
plicio multos afficiebat. Roffenſem, &
Morum præſtantiſſimos totius Angliæ vi
ros, paulo ante iniquiſſime interfecerat
His rebus Polus non mediocriter quidem
ſcribendo deterrebatur, ſed tamen cu
his ſe exemplis a Deo ad animi fortitudi
nem, atque conſtantiam invitari arbitra
retur ; neque vero deſperaret fieri etia
poſſe, ut ejus opera cum Regem, tum ip
ſum etiam regnum divina bonitas adj
vari vellet, omne ſtudium, cogitationem
que ad ſcribendum contulit, ac quatuo
menſibus præclaros quatuor illos pro Ec
cleſiaſtica unitate libros, qui typis ſu
impreſſi, conſcripſit ; eoſque ad rege
ipſum perferendos uni ex ſuis familiarib
dedit. Accidit hoc eodem tempore,
Gaſparem Contarenum, de quo ſupra di
imus, Paulus III. Pont Max. in Cardin
lium numerum adlegeret, ac Romam evo
caret, ut ejus conſilio & opera ratio al
qua iniretur, qua diſciplina Eccleſiaſtica
quæ jampridem magnopere depravata e
ſet,atque collapſa, corrigi, ac reſtitui po
ſet. Is Pontifici auctor fuit, ut ad han
con

De Eccleſi unitate Lib. IV. Card. Poli.

consultationem undique accerseret, quos
ex sacrarum literarum cognitio, & vitæ
sanctimonia in primis commendaret.
Horum delectus cum fieret, exciti sunt
per literas, ex Gallia Jacobus Sadoletus,
Episcopus Carpentoracten. Venetiis Ar-
chiepiscopus Theatinus, de quo ante dic-
tum est, & Gregorius Cortesius, D.
Georgii Abbas, ac Reginaldus Polus; cu-
jus pietas, ac doctrina jampridem cum ali-
is, tum ipsi Contareno maxime cognita,
perspectaque erat; Verona Joannes
Mattheus Gibertus, ejus civitatis Episco-
pus; Eugubio Fredericus Fregosius, Saler-
nitanorum Archiepiscopus. Romam una
profecti sunt, Theatinus, Veronensis,
Cortesius, Polus, peramanterque & ho-
norifice omnes a Pontifice accepti; Polus
etiam in ipsum Palatium est receptus.
Ac præclari quidem hi viri, communicato
inter se consilio, rem aggressi, quæ de com-
muni sententia probarentur, literis man-
darunt. Extatque illorum hac de re
scriptum in ipsis Conciliorum libris. Ve-
rum tota illa ratio ob multas, ac varias
difficultates, quæ se subinde proferebant,
eum, quem illi sperabant, atque optabant,
exitum habere non potuit. Jam vero cum
solemnis, ac sacer Christi natalis dies in-
staret, quo tempore Pont. Max. eximios

aliquot viros in Cardinalium collegium cooptare constituerat; ipsum quoque Polum in eorum numerum adscribendum censuit. Hoc ejus consilium non modo a Cardinale Contareno, atque aliis quibusdam magnis viris, sed etiam a Cæsaris ministris magnopere est collaudatum, qui etiam hoc in primis urgebant, quod rationibus Cæsaris id conducere arbitrarentur, sperarentque Anglici regni administrandi rationem ejus viri opera, atque Ecclesiæ auctoritate facilius converti, & in aliam mutari formam posse. Unus omnium Polus id minime probavit, libereque Pontifici demonstravit, alienum esse illud tempus, quo ipse, Cardinalis fieret, propterea quod, quam tum in Anglia auctoritatem obtinebat, omnem prorsus amissurus esset hac dignitatis accessione. Deinde suos omnes in extremum discrimen ob eam rem adductum iri. Quare petere, atque orare, ne quid tale de se tum cogitaret: ejusmodi aliquando fortasse tempus futurum, cum id commodius multo facere posset. Ac tum quidem Pontifex sibi ejus oratione satisfactum ostendit; recepitque, hoc se consilium in aliud tempus rejecturum. Quo responso Polum ego plane exhilaratum vidi. Postridie vero cum in Senatum Pontifex eo animo veniss

ſet, ut relicto Polo, alios quoſdam Cardinales crearet, ut primum conſedit, ſive Cæſarianorum opera impulſus, ſive, quod ego magis credo, Dei voluntate, priore ſententia mutata, duranti intimo cubiculario ad ſe accerſito mandat, ut, adducto ſecum tonſore, qui capitis verticem de more pilis nudaret, Polum adeat, eique ſuo nomine auctor ſit, ne oblatam dignitatem abnuat, ſed dicto ſe audientem præbeat. Ibi ego tum forte aderam, cum ille Pontificis mandatum exponeret. Re tam inopinata Polus haud leviter perturbatus, non obſcuram mœſtitiæ ſignificationem dedit: ſed quoniam nullum longiori moræ, aut tergiverſationi relictum locum videret; tanquam agnus coram tondente, novaculæ caput ſubjecit. Ita XI. Kal. Jan. M. D. XXXVI. Cardinalis renunciatus eſt una cum nonnullis aliis præſtantibus viris. In his fuit Archiepiſcopus Sipontinus, & Theatinus, quorum uterque poſtea Pont. Max. creatus eſt, alter Julii III. Alter, ut ſupra dictum eſt, Pauli IV. nomine, Jacobus item Sadoletus, & Rodulphus Pius Carpen. magnam ex hac Poli dignitate boni omnes voluptatem ceperunt. Deinde vero non ita multis poſt diebus legatio ei in Galliam, atque in Belgas, Flandriam vocant, decreta eſt, ut, qui ad huc in Anglia

Polus Card. renutiatur.

Polo legatio in Galliam atque Belgas decernitur

Anglia Catholici eſſent, eos in Eccleſiæ fide retineret. Ad eam rem Cæſar, & Galliæ Rex ſuam Pontifici opem, & auxilium, detulerant. Atque hic quidem etiam tutum Polo per ſui regni fines iter fore promiſerat. Hanc ille provinciam non invitus, accepit, quod, adjunctis ad Pontificis maximi ſtudia tantorum Principum voluntatibus, Henricum Regem ad Eccleſiæ unitatem, & obedientiam revocari poſſe non omnino diffidere Itaque iis a Pont. Facultatibus inſtructus, quæ legatis tribui ſolent, Roma diſceſſit, nonnulloſque præſtantes homines in comitatu ſecum duxit, atque in his Jo. Matthæum Verdnæ Epiſcopum, virum maximo rerum uſu, ac prudentia præditum, ſibique conjunctiſſimum. Lutetiam cum perveniſſet, ibi & a civitate ipſa, juſſu Regis, & a cunctis Eccleſiaſtici ordinis hominibus honorifice eſt receptus; ſed diutius eo loco commorari ei non licuit, propterea quod Henricus per certum hominem venementer a Rege contenderat, ut in ſuam poteſtatem Polum traderet. Rex officio, & religione prohibitus, quod fidem Pontifici Maximo de Poli incolumitate jam ante dederat, Angli poſtulatis nullum apud ſe locum relinquens, ne tamen illum infenſum haberet, ipſi Polo ſuo nomine

nomine significandum curavit, ut postridie ejus diei abiret. Is novæ rei eventu gravitur commotus, cum permagnas sibi undique objectas difficultates videret, ne quam tamen novis Henrici Regis insidiis occasionem diuturna mora præberet, Deum pie, atque ex animo, ut solebat, precatus, illiusque patrocinio sese totum committens, quam potuit brevissimo itinere Cameracum, quod est Cameracensis Episcopi juris, ac ditionis oppidum, contendit. Quod quidem non sine magno discrimine pervenit. Etenim per ea loca iter illi faciendum fuit, quæ tum exardescente inter Cæsarem, & Gallum bello, nunc hujus, nunc illius, atque ipsius etiam Regis Angliæ militum excursionibus, ac direptionibus maxime infesta erant. Ibi aliquandiu commoratus, cum non satis tutum sibi illud domicilium esse, non obscure animadvertisset, alio sese recipere statuit. Nam paulo ante factus erat certior, se perduellionis reum a Rege declaratum, ac publice quoque eo nomine proscriptionem in se latam esse; ac non id tantum, verum etiam si quis ipsum interemisset, ei quinquaginta millia aureorum nummum, necis præmium esse constitutum. In tantis difficultatibus atque periculis extitit unus Erardus a Marchia Car-

Polus ab Henrico Perduellionis reus declaratur.

Cardinalis, idemque Episcopus Leodiensis, qui eum, interposita fide publica, Leodium ad se invitaret. Eo profectus, perhumaniter, ac plane fraterno amore ab ampliss. illo viro est acceptus, atque liberalissime tractatus. Sex menses illic permansit, expectans, dum Anglicanæ res meliore loco esse inciperent, quemadmodum Cæsar, & Galliæ Rex fore promiserant. Sed dum ii sua nimis studiose conservare cupiunt, discordiis, ac dissensionibus suis tyrannicam Angli dominationem confirmant, sibique ab eo illudi patiuntur. Eo tempore Anglus Senatui apud Belgas, in quo erat etiam Leodiensis Cardinalis, quatuor millia peditum, solutis ad decem menses stipendiis, auxilio adversus Gallos missurum se pollicitus fuerat, si Polum in suam potestatem traderent. Id cum Leodiensis Polo patefecisset, Errat Rex, inquit ille, qui meæ propterea vitæ insidietur, quod magno me aliquo malo affectum iri existimet, cum potius contra eventurum sit; mihi enim hisce insidiis nihil aliud, quam quies quæritur. Similiterque Rex facit, ut si quis dormitum ire cupienti vestem ipsam velit detrahere. Hinc, hyeme jam adventante, a Pont. Max. revocatus, per Germaniam Romam reverit. Ac Pontifici cum legationem suam renunciaret, commemoratis præclaris in se hospi-

tis

tis ſui meritis, graviſſimoque ejus virtutibus teſtimonio dato, perfecit, ut illi Pontifex legationem apud Belgas decerneret. In urbe autem tamdiu commoratus eſt, quoad Paulus III. Nicæam, Galliæ Narbonenſis oppidum, ad conciliandam inter Cæſarem, & Regem Galliæ pacem, profectus, eum quoque ſibi itineris, & actionis illius comitem eſſe voluit. Memoria teneo, cum primum Cæſar ad pontificem Max. in quoddam Monaſterium, quod non longe ab urbe Nicæa aberat, ſalutatum veniret, eique Cardinales omnes, qui cum Pont. erant, obviam officii cauſa proceſſiſſent, Cæſarem mandaſſe Granvelano, ut de Card. Polo ſciſcitaretur; quod eum ſcilicet inprimis videre, & alloqui cuperet. Non enim erat neſcius, quanta eſſet hominis virtus; neque ſe nihil ei debere ſentiebat, quod Reginæ Catharinæ, materteræ ſuæ, cauſam perpetuo tutatus eſſet, atque ejus rei cauſa caput ſuum omnibus fortunæ telis objeciſſet. Adfui tum etiam, cum Polus Villam francam ad Cæſarem, officii gratia ſalutatum profectus eſt. Quem ille honorifice, amanterque accepit, aliis, qui ob eandem cauſam eo tum convenerant, relictis, longioremque cum eo ſermonem habuit. Romam per æſtatem Pont. Max. rediit, eumque non

Paulus III. Nicæam proficiſcitur.

Polo iterum Legatio in Hiſpaniam ac Galliam decernitur.

non ita multo poſt Contarenus, & Polus una paucis diebus in Gallia Ciſalpina conſumptis, conſecuti ſunt. Ac Pontifex quidem, ſive ſponte ſua, ſive hortatu Cæſaris, & Regis Galliæ, qui etiam affirmarent, ſibi nullum deinceps fore cum Anglo commercium, quod hac re nonnulla ſpes oſtenderetur, populos Angliæ ad tumultus, ac ſeditionem adduci poſſe, Polum iterum Legatum ejus rei cauſa mittit. Atque ut celerius, quo iter erat, pervenire, ac Regis Angliæ inſidias effugere tutius poſſet, placuit Pontifici, ut mutato veſtitu, paucis quibuſdam comitibus, recta in Hiſpaniam ad Cæſarem, qui Toleti erat, contenderet, atque illinc poſtea ad Galliæ Regem ſeſe conferret. Interim autem dum uterque cum Anglo amicitiam abrumperet, ipſe loco aliquo ſive in Galliæ finibus, ſive in Belgis, ubi magis e re futurum eſſe videretur, ſubſiſteret, ibique totius rei exitum expectaret. Unus ego tum ex iis fui, qui Polum ſequuti ſunt. Menſe Januario propter ſævam hyemem, & viæ aſperitates perdifficili itinere Barchinonem venimus. Hinc Polus quod jumenta nimium defatigata eſſent ut, profectionem maturaret, quatuor ex familiaribus ſecum ire juſſis, & per equos diſpoſitos magna celeritate Toletum venit.

venit. Interea Anglus de regni sui incolumitate magnopere solicitus, cum nonnihil de Pontificis Max. contra se studio, atque conatibus inaudisset, legationem ad Cæsarem de ineundo adversus ejus inimicos fœdere misérat. Eam rem Cæsar, qui in Gallum infenso erat animo, minime contemnendam ratus, ut Anglum confirmaret, Poli legationem, commutata voluntate, sic audit, ut alienum esse illud tempus exequendis Pontificis postulatis dicat; & ut prius Gallum adeat, ex cujus sententia ipse quoque consilium capturus sit, monet. Polus cum satis intelligeret, quo utriusque consilia spectarent, & sua in Galliam profectione Angli cum Cæsare fœdus magis ac magis confirmatum iri animadverteret, non existimavit, prudentis hominis esse, nulla proposita utilitate, quin potius magno Christianæ reip. detrimento, & causæ, propter quam missus esset, eversione, certissimis caput suum periculis objicere. Ita abeundi venia a Cæsare impetrata, cum se omnia Pontifici perscripturum, & quæ is mandaret, facturum dixisset, eodem, quo venerat, itinere Avenionem revertit, atque illinc Carpentoractem, quæ ambæ civitates Pontificis Romani juris, ac ditionis sunt, abiit. Hinc per literas Pontificem tota de re, & legatione

legatione sua docet, unum etiam ex suis familiaribus in Galliam ad Regem mittit. Sed ne illic quidem res meliore, quam in Hispania, loco esse intelligit. Etenim eodem tempore Anglus utriusque, & Cæsaris, & Galli animum vanis, ac fallacibus pollicitationibus, pertentaverat. Interim Polo afferuntur a Pont. literæ, quibus mandat, ut iis in locis, ubi tum erat, subsisteret. Is vero, Avenione relicta, Carpentoractem secesserat, tum quod ea civitas ad quietem, & tranquillitatem esset accommodatior, tum multo etiam magis, quod ibi erat Card. Sadoletus, homo sibi non collegii solum necessitudine, sed amore etiam, ac familiaritate conjunctissimus. Ibi sex menses commoratus est magna cum sua, & Sadoleti, ac populi illius voluptate. Deinde revocatus a Pontifice, Veronam profectus est, qua in urbe, ejus permissu, aliquandiu cunctatus, summam amicissimi hominis Jo. Matthæi ejus civitatis Episcopi erga se humanitatem, atque hospitalitatem expertus est. Postea cum Romam revertisset, Pontifex magnos ejus labores, & summa pericula, quæ pro Ecclesiæ Romanæ dignitate adiisset, secum reputans, primum adversus insidias, quas Henricus illi tendebat, corporis custodia eum munivit; deinde vero, ut in otio honesto

neſto tandem aliquando conquieſceret, non longe ab urbe, neque moleſtam, neque admodum negotioſam legationem Viterbienſem ei detulit, in qua multos annos magna cum laude verſatus eſt. Sed cum pravæ de religione opiniones, atque hæreſes in multis jam Chriſtiani orbis partibus magna cum animorum peſte, ac pernicie diſſeminatæ eſſent, latiuſque indies tantum hoc malum ſerperet, ei Paulus III. occurrendum ratus, Concilium, quod hujuſmodi in morbis remedium maxime præſentaneum ſemper habitum eſt, ac tum quidem a multis expeti videbatur, Tridentum indixit, ac Pariſio Cardinali, juris ſcientia præſtantiſſimo viro, & Morono item, qui non multo ante in Cardinalium collegium adſcitus fuerat, Polum tertium adjunxit, qui cum illis duobus in concilio Legati munus obiret. Id ut faceret, cum ejus doctrina, & prudentia, tum etiam ea cauſa adducebatur, quod magnum Poli nomen, & exiſtimationem apud exteras nationes eſſe intelligebat. Atque hi quidem tres Legati Tridentum profecti ſunt: ſed cum, propter exorta in Germania, & alibi inter Chriſtianos Principes bella, concilium ipſum cogi non poſſet, re infecta, Romam redierunt. Illinc Polus ad ſuum ſe otium, & Viterbienſem legati-

Concilium Trid. indicitur cui Polus cum morono & Pariſio legati a Pontifice decernuntur.

legationem retulit, & nunc Romæ, nunc Viterbii, ut res ferebat, in literarum ſtudiis omne tempus conſumens, maxima in tranquillitate, & quiete vitam degebat. Sed rurſus Pont. Max. magnam in ſpem erectus Chriſtianæ reip. juvandæ, concilium Tridenti congregari, eumque cum duobus aliis Legatis, Montio, & S. Crucis Cardinalibus, ſummis viris; quorum uterque poſtea Pont. Max. alter Julii III. ut ſupra demonſtravimus, alter Marcelli II. Nomine factus eſt; proficiſci jubet. Eo multi Eccleſiarum Antiſtites, ſummique Theologi, ex Italia, Gallia, Hiſpania, atque aliis ex locis convenere, apertoq; Concilio multis, & gravibus de rebus, quæ ad religionem, & Eccleſiaſticam diſciplinam recte conſtituendam pertinerent, ſumma animorum conſenſione deliberabant. In primis autem Legati mutuo inter ſe amabant, & conjunctiſſimis ſtudiis, atque conſiliis omnia agebant, Polumque omnes plurimi faciebant. Cujus ſane rei ego me ipſum citare teſtem poſſum, qui tum illis permultos menſes a ſecretis fui. Factum eſt autem nimia cœli illius ſubtilitate, & frigoris vi, ut Polus Catarrho quodam in altero brachio tentaretur. Ac cum non ſatis accommodata ei remedia adhi-

Iterum Polus ad concilium Trid. legatur.

ben-

beri illic posſent, ne gravior aliquis morbus conſequeretur, ſtatuit Patavium concedere; ubi & medicorum major eſſet copia, & cœlum ſalubrius. Non ita multis poſt menſibus concilium quoque ipſum, ob infecti aeris ſuſpicionem, Bononiam tranſlatum eſt. Polus autem recuperata valetudine Romam remigravit. Eum Pontifex perlibenter ſecum habere ſolitus erat. Ejus etiam opera plurimum iis in rebus, quæ ad religionem pertinerent, utebatur: præſertim vero ſi cum Regibus, atque aliis Principibus negotium eſſet. Atque de ejuſmodi quidem argumento ſi quæ ſcribenda erant, ut plurimum, ipſe Polus ſcribebat. In his fuit ſcriptum illud, quo de Pontificis ſententia reſponſum eſt libello cuidam, a Cæſare Germanicæ nationi propoſito, quem Interim nominabant. Poli fuit etiam laudata illa reſponſio ad conteſtationem, quam Diegus Hurtadus, Cæſaris Orator, ipſius Cæſaris nomine, ob tranſlatum concilium fecerat. Atque hæc ille quidem facile, ac nullo pene negotio ſcribebat, ut qui jam inde a prima adoleſcentia magnam ſibi dicendi facultatem, & plurimarum rerum ſcientiam, & cognitionem comparaverat. Ejus autem ſtudia præcipue in ſacrarum literarum lectione verſabantur, ſemperque iis de re-

Concilium Trid. Bononiam transfertur.

Reſponſio ad Interim.

bus aliquid ſcribebat, quarum commentatione & animum ſuum ad pietatem inſtituere, & aliis prodeſſe poſſet. Sic ille vitam agebat, omnibuſque non minus carum ſe, quam admirabilem præbebat: cum magno ipſius, & bonorum omnium dolore deceſſit e vita Paulus III. Pont. Max. Itaque Cardinales de more in conclavi incluſi, de novo Pontif. deligendo inter ſe agere cœperunt. Ibi tum Alexander Farneſius, Pauli nepos, cujus præter cæteros magna erat auctoritas, ſecum reputans, ecquem potiſſimum ex omnibus Cardinalibus, quì recte avo ſuo ſuffici poſſet, quique & Eccleſiæ utilis futurus eſſet, & ſibi amicus, diligendum curaret; unus Polus occurrit, in quem omnia ſua ſtudia conferret. Hoc ille ſumma eorum Cardinalium, qui cum Cæſare ſentiebant, voluntate faciebat, quod iis, quam de Polo Cæſar opinionem haberet, maxime cognitum erat. At, qui Henrici Galliæ regis cauſa volebant, quod ejus, & Cæſaris animi tum, ac voluntates inter ſe magnopere diſſiderent, Cardinalis Farneſii voluntati, ac ſtudiis obſiſtendum omnino putarunt. Atque ut, Regis auctoritate interpoſita, facilius totam rem conficiant, oſtendunt maxime verendum eſſe, ne Polus, adepto Pontificatu, Cæſari ipſi nimis addictus

Paulus III. moritur.

addictus sit; tum nonnullos Card. quos ambitione ductos Pontificatum vehementer concupiscere intelligebant, aggrediuntur studiaque iis sua, & suffragia deferunt. Sed Cæsarianorum major adhuc erat numerus, quam ut Farnesii voluntati obsisti posse videretur, jamque Galli animos desponderant. Illud quidem haud scio, utrum admiratione, an laude dignius sit, quod iis, qui in conclavi fuerunt, maxime perspectum, cognitumque est, neque Polum ipsum, neque ex ejus familiaribus quenquam ullam omnino de Pontificatu vocem misisse; cum tamen major suffragiorum numerus Polum unum ad duos menses, atque amplius Pontificem deligeret. Ac ne in Polo quidem omni hoc tempore ulla prorsus cupiditatis significatio animadverti unquam potuit. Eodem semper vultu erat; eandem, quam antea, animi lætitiam præ se ferebat. Ac si quis esset, ut erant permulti, qui ei sic diceret, Nos te Pole Pontificem creabimus: rogabat ille, viderent, ne quam animi perturbationem in concilium adhiberent; ne quid gratiæ dandum putarent, sed omnes suas cogitationes ad Dei honorem, & Ecclesiæ utilitatem referrent. Quod unum sibi omnibus perpetuo ante oculos versari in primis oporteret. Quid vero, quod

eo ipso in loco, ac tempore nihil minus literis, & scriptionibus suis operam dabat, ac si domi in Bibliothecam sese abdidisset? quod quidem satis declarant, quæ ibidem scripsit; de quibus postea dicemus. Fuit præter cæteros S. Jacobi Card. Hispanus, qui Poli constantiam magnopere se admirari ostenderet. Nam cum quodam die Cardinalium suffragia de Pontifice eligendo recenserentur, & scrutinium (sic enim appellant) fieret, ac duo tantum Polo ad Pontificatus adeptionem suffragia defuissent, narrabat, se animadvertisse, ea re Polum nihil prorsus fuisse immutatum, sed eundem semper, quem ante solitus erat, vultum retinuisse. Neque vero defuit ex Cardinalibus, qui quodam die, cum ad suffragia ferenda conveniissent, ambitionem ei objiceret, eumque intempestive, ac nimis præpropere Pontificatum appetere diceret; cui ille graviter admodum respondit, maximi illius sacerdotii, & sacrosancti magistratus onus non tam sibi leve videri, ut non id pertimescendum potius, quam appetendum putaret. Quod qui non intelligerent, & humilius de tanta re existimarent, eorum se vicem vehementer dolere. Omnino permagnam sui admirationem duabus rebus apud omnes concitavit; altera, quod tantæ dignitatis conse-

conſequendæ certa quaſi ſpe animum e conſtantiæ ſede dimoveri nunquam pateretur: altera, quod calumniis, & obtrectationibus quorundam, qui ejus auctoritatem, & gratiam elevare cupiebant, prorſus non moveretur. Erant, qui eum hæreſeos, ac depravatæ religionis inſimularent. Alii, quod in Viterbienſi legatione paucos admodum ſupplicio, morteque effeciſſet, id ei vertebant vitio; ignaviæ enim, ac ſocordiæ attribuendum eſſe dicebant. Non defuerunt etiam, qui criminarentur, Romæ ipſum apud virgines Deo ſacratas filiolam ſuam educandam collocaſſe. Hæ voces ab eis, qui Pontificatum nimis adamaverant, nec ſibi eum præripi a quoquam pati poterant, in vulgus ſpargebantur. Enimvero ad hæc ille, veritatem ſuo patrocinio, ac defenſione nihil egere: ſed tamen ſi ordine, & ut in more poſitum eſſet, accuſatio inſtitueretur, tum ſe ad criminationem omnem reſponſurum. Nam quod ad hæreſis crimen pertineret, ignorare neminem, quantos ille pro tuenda ſedis Apoſtolicæ dignitate labores ſuſcepiſſet, quot, quantaque pericula adiiſſet. Ac ne illud quidem obſcurum eſſet, primum ſe in Regis ſui offenſionem, atque odium incurriſſe, propterea quod ne maximo quidem propoſito

Polo Tria objiciuntur.

Calumniæ oblatæ refelluntur.

præmio adduci potuisset, ut ejus sententiam ab Ecclesiæ Rom. dignitate, & Catholica doctrina abhorrentem probaret; deinde matrem, ac natu maximum fratrem, cum idem facerent, gladio jugula subjicere coactos fuisse; ita ut, cum ea, quæ ipse egisset, tum etiam effusus suorum sanguis diluere hujusmodi crimen facile posset. De legationis suæ Viterbiensis populo, quod is ita pacem coluisset, honestequevixisset, ut necesse non esset, ad supplicium multos rapere, id non ignaviæ adscribendum videri; quin potius ea de re magnas Deo gratias agi oportere. Tertiam de filia calumniam, ipsi calumniatores, re patefacta, refellerunt. Nam cum studiosius perquireretur, quænam illa esset, compertum est, Anglicanæ mulieris cujusdam filiam esse, quæ Romæ mortem obierat, ac ne puella se malis artibus daret, virginibus sacris in disciplinam a Polo traditam. Præterea intellectum est, ad ejus dotem constituendam, præter paucula illa, quæ mater ei reliquerat, centum aureos in Fidei monte (sic enim vocant) Polum deposuisse. Cujus generis permulta largiri ille quidem ita solitus erat, ut nullam ex ea re laudem sibi omnino quæreret. Sed ut eo revertamur, unde digressi sumus; non ignorant ii, qui

eo tempore in conclavi inclusi erant, Polum, sine dubio, Pontificem Max. futurum fuisse, si a Farnesio, & iis Cardinalibus, quos ille hujus rei causa secum adducebat, de more adorari se passus fuisset. Quos quidem cupide ad se accurrentes hac voce repulit; nolle se, tantam rem tumultuose, ac temere, sed recte, atque ordine agi: alienum esse nocturnum tempus: lucis Deum, non tenebrarum amantem esse. Quare in posterum diem rem differrent; tum etiam, si Deo placeret, facile confici posse. Atque ita adorari tum noluit. Quod ego antea feciſse quenquam neque audivi, neque vero legi unquam. Postridie autem, propter eas, quas supra ostendimus, causas, omnia commutata sunt, & Cardinalium studia in aliam partem deflexerunt. Hic ego non committam, ut silentio transeam, quod quidem Cardinalis de Polo quærentibus respondit. Is e conclavi exierat, propter adversam valetudinem, ac cum officii causa, ut fit, amici ad eum ventitarent, & nonnulli de Poli Pontificatu percunctarentur, parum amico animo dixit, nihil contingere posse incommodius, quam si ille Pontifex renunciaretur: propterea quod omnibus jam se stipitem esse ostendisset, qui neque certa propemodum spe adipiscendi

Polus adorationem respuit.

Pontificatus, neque rursus amittendi metu commoveretur. Quæ quidem res contra, quam ille bonus vir existimabat, ad laudem Poli mihi pertinere maxime videtur. Jam vero in conclavi Cardinalium studia, qui cum Cæsare faciebant, ad Cardinalem Moronum inclinare cœperant. Atque is quidem quadragesimum primum ætatis annum nondum compleverat; verum eam sibi virtutis, & prudentiæ opinionem, atque existimationem comparaverat ut ipso Pontificatu maxime dignus haberetur. De eo cum suffragia recenserentur, inventa sunt XXVIII. atque in his Gallorum duo, quæ illum Pontificem Max. declararent, ita ut ad Pontificatum consequendum duo omnino deessent. Id Polo magnæ voluptati fuit. Nam cum nihil aliud, nisi utilitatem Ecclesiæ, & Dei honorem spectaret, alium malebat, qui modo dignus esset, Pontificem creari, quam seipsum. Moronus magnas iis gratias egit, qui se pontificem vellent; veruntamen ad suffragiorum perquisitionem noluit rem amplius redire, sed hortatus est vehementer, ut Poli, cui antea suffragati essent, rationem haberent. Verum jam Polus indies majorem difficultatem habebat Cardinalium adventu, qui expectabantur e Gallia, atque ipse etiam, ut

alio

alio mentes, ac ſtudia converterentur, & unus aliquis tandem eligeretur, identidem rogabat, quod ejus rei longior dilatio nimium detrimenti ipſi Eccleſiæ, ac tota Chriſtianæ reip. afferret. Quibus rebus permoti Farneſius, & Guiſianus, quorum ſumma erat auctoritas, quique omnium prope ſuffragiis ſuo arbitratu utebantur, Cardinalem Montium, qui Julii III. nomen ſibi adſcivit, Pontificem creandum ſtatuunt; ac ne quid interveniat, quod ei rei impedimento ſit, nulla interpoſita mora, Farneſius Polum adit, & re tota expoſita, rogat, ut eundem ipſe quoque Pontificem velit. Erat quinta noctis hora, cum in ſacellum, ut de more novus Pontifex adoraretur, ventum eſt. Ibi tum Polus reliquos ſequutus, ad Pontificis pedes acceſſit, ut hos, ſicuti mos eſt, oſcularetur; ſed antequam ſe in terram proſterneret, Pontifex, lacrymis obortis, aſſurrexit, & amice eum complexus eſt, utpote qui Pontificatum renuens ita, uti ſupra demonſtravimus, quaſi de manibus ſibi tradidiſſet. Id quod etiam frequenter dicere ſolitus erat. Ac poſtea cum bello contra Gallos ad Mirandulam ſucepto implicatus, magnam ex ea re moleſtiam caperet, preſenſque quodam die adeſſet S. Angeli Cardinalis Rainutius Farneſius

Julius III. Pont. declaratur.

nesius Alexandri frater, Equidem, inquit, non satis intelligo, quæ tanta mea fuerit in Deum offensio, ut tam acerbas a me pœnas exigat, nisi fortasse illud est, quod sanctissimo viro Polo meum in conclavi suffragium denegavi. Majoris certe alicujus culpæ non sum mihi conscius. Creato eo, quem dixi, Pontifice, cum Cardinales omnes ex conclavi egrederentur, eandem Polus, quam in conclave attulerat, animi tranquilitatem domum retulit, magnamque se, atque periculosam provinciam effugisse ratus potius, quam dignitatem amisisse, dicere nonnunquam solebat, non idoneum se ministrum ad id futurum fuisse, quod Deus in eo Pontificatu fieri vellet. Quosdam etiam Cardinales, qui ei refragati fuerant, quod eam se dignitatem consequuturos sperarent, mœrentes consolatus est. Quid multa ? omnium bonorum, & sapientium hominum judicio summam omni ex parte laudem reportavit. Hac de re gravis sane extat, ac summæ pietatis, & prudentiæ luminibus distincta atque ornata ejus epistola, qua Pacensi Episcopo Hispano respondet.

Primo post initium Julii III. Pontificatum anno, cum bellum in Gallia Cisalpina ad Mirandulam adversus Gallos moveretur, & Romana jam quies perturbari

cœpta

cœpta eſſet, Polus, cui motus illi magnopere diſplicebant, bona cum Pontificis venia, Roma excedere, & in quietum aliquem locum ſeſe recipere cupiens, ſtatuit Maguzanum ſecedere in cœnobium quoddam Monachorum D. Benedicti ordinis, quorum ipſe Romæ patronus, atque, ut illi appellant, protector erat, remotum, ſalubremque locum, in agro Veronenſi non procul a lacu Benaco poſitum. Eo in loco dum perbelle in ſumma tranquilitate cum ſuis viveret; in Anglia malis Ducis Northumbriæ artibus extincto Edoardo, ejus inſulæ Rege, Henrici VIII. filio, adoleſcentulo adhuc, ut minore negotio regnum ipſe occuparet, Maria Edoardi ſoror, ad quam legitima ejus regni ſucceſſio pertinebat, Ducem exercitu omni, atque opibus, quas contra ſe maximas comparaverat, non ſine admirabili Dei benignitate, atque auxilio ſpoliavit, cumipſa quidem prope ſola eſſet, omnique humano præſidio deſtituta. Hujus tantæ rei nuncius cum bonis omnibus jucundiſſimus fuit, tum vero præcipue Poli animum ingenti voluptate, atque lætitia explevit. Nemini enim dubium erat, quin Regina Catholicam religionem, cujus ſemper fuerat ſtudioſiſſima, ob eamque ſæpe magnum vitæ periculum, ac diſcrimen ſubierat, primo

Polus Maguzanum proficiſcitur.

Edoardus veneno tollitur de medio.

Polo legatio in Angliam decernitur.

primo quoque tempore in Angliam resti-
tueret. Hanc ejus voluntatem, & ſtudi-
um ut adjuvaret Pont. Max. Polo legatio-
nem in Angliam decernit, eique amplisſi-
mas facultates, etiam creandi Epiſcopos,
tribuit. Tum Polus magnam in ſpem Ec-
cleſiæ, ac patriæ ſuæ juvandæ erectus,
iter menſe Octobri parat, & Maguzano ad
inſulam Benaci lacus proficiſcitur. Vix
dum eo venerat, cum ecce tibi Franciſcus
Commendunus, quem Card. Dandinus de
pace apud Cæſarem legatus, Romam ad
Pont. Max. mittebat. Is Polo reddit Dan-
dini literas, quibus, ne in viam ſeſe daret,
monebat. Ita enim Cæſari ob juſtas, &
graves cauſas videri. Tum ipſe, quæ in
Anglia gererentur, docet, ſimul & quam
infenſus eſſet religioni Catholicæ, præci-
pueque Romani Pontificis nomini Londi-
nenſis populus, demonſtrat. Nam Com-
mendunus, poſtea quam Maria, capto
Northumbriæ Duce, ſummo omnium con-
ſenſu Angliæ Regina declarata fuerat, in
Angliam ſubito trajecerat. Polus tum
Dandini literis, tum etiam Commenduni
oratione permotus, non ultra ſibi progre-
diendum exiſtimavit, prius quam Ponti-
ficem Max. de tota re certiorem feciſſet,
& quid ille ſe vellet facere, cognoviſſet.
Romæ Pontifex, Senatu convocato, alte-

ram

ram Polo legationem decernit de pace inter Cæsarem, & Gallorum Regem concilianda; quorum mutuis, atque inteſtinis bellis Chriſtiana reſp. jam pridem miſere vexabatur; ad eoſque paucis ante menſibus Sancti Georgii, & Dandinum Cardinales hoc ipſo nomine legatos, alterum ad Cæſarem, alterum ad Galliæ Regem miſerat: qui nihil adhuc profecerant; nec vero ſpes ulla oſtendebatur fore, ut res pacari illorum opera poſſent. Ita Polus, delato ſibi duplici legationis munere, iter ingreditur; Tridentique a Card. Tridentino perquam magnifice, liberaliterque excipitur: cum is quidem nullum genus officii, ac ſtudii erga ipſum Polum prætermitteret, cujus cum antea ſtudioſiſſimus ſemper extiterat, tum vero in conclavi unus omnium conſtantiſſime ſuffragatus illi ad Pontificatum fuerat. Hic triduum commoratur, atque hinc Romam ad Pont. Max. ſcribit, ſimulque ad Regem Galliæ mittit unum ex ſuis, Vincentium Parpaliam, hominem magno rerum uſu, atque experientia præditum; cujus opera antea quoque in aliis legationibus uſus plurimum fuerat. Dat item literas ad Antonium Florebellum, quem paucis ante diebus ad Cæſarem miſerat; eique mandat, ut ipſum Cæſarem de altera legatione

Polo Legatio de Pace inter Cæſarem & Gallorum Regem decernitur.

Vincentius Parpalia.

Antonius Florebellus.

gatione ſibi delata, deque ſuo ex Italia diſ-
ceſſu certiorem faciat. Hic Florebellus
tum Polo ab epiſtolis erat; nunc eſt La-
vellinus Epiſcopus, & a brevibus, ut vo-
cant, Pontificis maximi, vir cum omni
elegantiore doctrina perpolitus, tum vero
ſumma latine ſcribendi facultate, & elo-
quentia præditus. Polus ex Italia diſce-
dens non paucos in comitatu ſecum habu-
it, vel uſu rerum, atque experientia, ve
linguarum cognitione, & doctrina, ve
nobilitate præſtantes homines; ac præter
cæteros ſecuti eum ſunt honeſti cum pri-
mis, atque ornati viri, Bartholomeus Stel-
la, & Donatus Rullus, quamvis ille ex-
trema jam, ac prope decurſa ætate eſſet;
hic infirma admodum, atque imbecilli
valetudine, & Polus cum utroque vehe-
menter egiſſet, ut domi remanerent, ne
tam longo, ac difficili itineri, hyeme
præſertim adventante, ſeſe committerent.
Sed magna vis amoris, quo Polum uter-
que proſequebatur, cum alter ipſi veter
familiaritate, atque uſu, multiſque offici-
is eſſet conjunctiſſimus, Stella etiam apud
illum complures annos in ejus intimis, a
domeſticis fuiſſet, facile omnia vel ætatis
vel valetudinis incommoda ſuperavit.
Paucis diebus Tridento Dilingam Card.
Auguſtani oppidum pervenit, ubi ab ipſi
Card.

Card. honorifice, ac perhumaniter exceptus, aliquandiu ſubſtitit. Poſt vero, cum in viam ſe dediſſet, ſuumque iter magnis frigoribus, ſummaque hyeme perſequi vellet, repente Jo. Mendoza, a Cæſare magna celeritate per diſpoſitos equos miſſus, occurrit, eique redditis Cæſaris literis, ipſius nomine nunciat, pergratum illi fore, ſi non longius progrediatur. Ita videri ad eas res, quarum cauſa mitteretur, conducere: cum maturum fuerit, ab ipſo Cæſare ultro eum accerſitum iri. Quod ſi regredi nolit, poſſe voluntate Cæſaris Leodium uſque proficiſci; verum illic commorandum ei fore tandiu, quoad accerſatur a Cæſare. Polus ita ſibi non ſolum commodius eſſe ratus, ſed etiam honeſtius, Dilingam revertitur, continuoque certiorem facit de tota re Pontificem, ſimulque per literas modeſte expoſtulat cum Cæſare, atque oſtendit, quam indignum videretur Pontificis Max. legatum, qui pacis, & religionis cauſa ad ipſum mitteretur, ejus aditu prohiberi, & in medio ipſo itinere, atque in media Germania detineri. Quantæ id voluptati fore ipſis hæreticis, quorum in oculis hæc gererentur? quos vero animos ſumpturos in Anglia religionis Catholicæ adverſarios, atque hoſtes? rogat, atque obſecrat, ut

Polus expoſtulat cum Cæſare.

ut ſibi ad ipſum liceat primo quoque tempore accedere neu patiatur ſe diutius tanto cum Pontificis dedecore, atque contemptione illis in locis commorari. Cæterum cupiebat Cæſar, ut poſtea intellectum eſt, Philippo ejus filio Mariam Angliæ Reginam nubere. Quæ res Anglis cum minime probaretur, nec vero Cæſar ipſe neſcius eſſet, quanti Polum Regina multique in Anglia primarii homines facerent, cavendum ſtatuit, ne quam ejus adventus moram nuptiis afferret. Interim dum Polus expectat, quando Cæſari maturum videatur, ut ad ipſum veniat, decernitur in Anglia de ſententia totius regni concilii, quod Parlamentum vocant, ut Maria Angliæ Regina Philippo Hiſpaniarum Principi, Caroli Cæſaris filio, matrimonio jungatur. Sub idem tempus Polus Petrum a Soto Hiſpanum, hominem pium in primis, & doctum, qui antea Cæſari a ſacris confeſſionibus fuerat, ac tum Dilingæ, quo ſeceſſerat, Card. Auguſtani collegio præerat ad juventutem Germanicam literis, ac pietate inſtituendam, ad Cæſarem mittit, qui eum hortetur, ac roget, ne patiatur eam legationem diutius impediri, quæ religionis & pacis cauſa eſſet inſtituta. Neque enim id ſine aliqua ejus nominis labe, & maxi-

Petrus a Soto.

mo Christianæ Reip. atque in primis Angliæ regni detrimento fieri posse. Annuente tandem Cæsare, Polus susceptum iter persequitur; paucis diebus Bruxellas venit; humaniter a Cæsare excipitur. Sed quoniam Philippus ex Hispania nondum in Angliam transmiserat, easdam ob causas, quas supra attigimus, Cæsar pergratum sibi fore ostendit, si tantisper suam in Angliam profectionem differat, dum Philippus eo appulerit. Interim Polus, ut alteri legationis suæ muneri satisfaceret, instituit agere cum Cæsare, si qua iniri posset ratio, pacis inter ipsum, & Gallorum Regem conciliandæ, tantique sedandi incendii, quo multos jam annos eorum bellis universus fere orbis Christianus miserabiliter conflagrabat. Etenim Pontifex, quos multis ante mensibus legatos de pace ad utrunque miserat, ut ante dictum est, cum nihil hi proficere potuissent, Romam ad se jampridem revocaverat. Cæsar Polum multa pie, ac prudenter de pace differentem perlibenter audivit, neque se ullas pacis conditiones recusaturum ostendit, quæ honestæ essent, atque ejusmodi, quibus certa, & firma pax constitui posse videretur. De ea re autem nihil deliberari posse, antequam voluntas Regis cog-

Polus cum Cæsare de pace agit.

Polus in Galliam proficiscitur.

nita esset. Accepto Polus a Cæsare hoc responso, in Galliam profectus est, nullumque boni, ac prudentis legati officium prætermisit, quod ad pacem conficiendam pertineret. Scripsitque proficiscens in Galliam, in ipso itinere libellum, quo Cæsarem ad pacem hortabatur, sumpto hujusce rei argumento ex ejus responsione. Et cum Regi placuisset, ne ad se prius adiret, quam elapsi essent sacri dies, quibus mortis Christi memoria colitur, in quos ejus adventus forte inciderat, idonenm tempus sibi dari existimavit, ejus libelli, quem ad Cæsarem nondum miserat, ad Regem mittendi. Itaque fecit, adjuncta epistola. Tum vero cum ipso Rege coram, ubi ejus conveniendi potestas facta est, & cum Card. Lotaringo, & magistro equitum, quem illi Conestabilem nominant, quorum summa apud Regem erat gratia, & auctoritas, pluribus verbis, ac vehementer de pace egit. Polum Rex non sine aliqua concordiæ spe dimisit. Publice etiam collaudavit, & magnopere dolere se dixit, quod ante Julii III. Pontificatum aut eum ipso non cognovisset, aut male de eo edoctus esset. Alium enim se neminem ad Pontificatum eligi, quantum in ipso quidem esset, permissurum fuisse. Ita Polus ad Cæsarem

Ad Cæsarem revertitur.

rediit.

rediit. Ac revertenti quidem nonnullis in locis prope fines, quo belli vis ingruerat, cum adhuc ex incendiis ſolum ipſum propemodum fumaret, paſſimque miſerabilis omnium rerum vaſtitas aſpiceretur, obviam ei mulieres cum pueris, ac ſenes procedebant, eumque optimis omnibus proſequentes, qua tranſibat, humum, floribus, herbiſque ſternebant. Sed uſque adeo tum Cæſaris, tum Regis exulceratus erat animus, ut ſimultates eorum, & odia, quaſi vulnera quædam jam diu inveterata, brevi tempore ſanari non poſſent. Per id tempus Polus in cœnobio quodam prope Bruxellas commorabatur, atque hic magna ſane moleſtia affectus eſt ex morte Bartholomæi Stellæ, de quo a nobis antea dictum eſt, qui jam ſenior, cum in febrem incidiſſet, paucis diebus e vita diſceſſit, magnumque ſui deſiderium cum ipſi Polo, tum reliquis omnibus reliquit. Quanquam id non mediocriter leniebat Franciſcus Stella ejus fratris filius, vir exquiſito judicio, atque doctrina, cujus tum opera Polus Romæ utebatur ad omnia, quæ illic gerenda eſſent, eumque poſtea in Angliam ad ſe evocavit. Atque illud quidem haud ſcio, an Poli felicitati attribuendum ſit, quod, dum vixit, neminem præterea ex omnibus, qui eum ex

Italia ſecuti fuerant, qui quidem ſibi pau
lo eſſet carior, amiſit. Jam vero cum i
Angliam appuliſſet Philippus, confecta
que eſſent nuptiæ; ad rem Eccleſiæ, a
religionis in Anglia conſtituendam plur
mum momenti allatura videbatur Po
Card. preſentia; ſed ſive virtutis com
invidia, ſive ambitio, ſive etiam, qui hu
manis actionibus perpetuo inſidiatur, ma
lus Dæmon in eam ſententiam quoſda
perduxerat, ut occultæ cuniculis eum op
pugnarent, ejuſque in Angliam profec
onem impedirent. Itaque cum apud Ca
ſarem, tum Romæ apud Pont. tum in An
glia etiam apud Reginam non defuerun
qui eum in ſummam invidiam adduce
conarentur. Intelligebat hæc Polus, ſib
que perinde accidere dicebat, ac ſi in pra
to aliquo inambularet, ubi lateret anguis
qui ſerpendo herbam ipſam impelleret
ac quamvis herbæ motio anguem ſubeſ
indicaret, tamen ille herbarum procer
tate contectus conſpici non poſſet. I
circumventus undique, Dei opem aſſidu
implorabat, ſæpeque illud a Deo precab
tur, ne cauſam hanc ſuam deſereret, a
ſi ipſe ad eam tuendam parum accommo
datus videretur: hanc a ſe provinciam a
alium transferret magis idoneum. Sc
neque ſuos deſtituit Deus, neque ita in
firm

firma esse solet, aut ulla vi opprimi potest veritas, ut non se tamen aliquando erigat, atque attollat. Maria Polum in Angliam ad se venire cupiens, leges, quæ contra ipsum, ejusque familiam ab Henrico Rege primum perlatæ, deinde etiam ab Edvardo comprobatæ fuerant, abrogandas curavit; atque interim duos primarios homines, qui sibi a conciliis erant, Bruxellas misit, Pagetum, & Edvardum Hastingium regii stabuli præfectum, qui illum deducerent. His comitibus bona cum Cæsaris venia mense Septembri, MDLIV. post Christum natum anno, Calleto in Angliam trajecit. Id oppidum cum Angli tenebant; ibique Polus quam honorificentissime est exceptus, paratasque naves sex invenit, quas Regina ob hanc ipsam causam miserat; & quod non exiguum sane visum est divinæ voluntatis argumentum, cum permultos dies continenter flavisset ventus, quo in Angliam navigari minime poterat, idemque diuturnior fore videretur, noctu repente præter opinionem omnium commutata cœli tempestate, is ventus flare cœpit, qui erat secundissimus, quo quidem Polus perpaucis horis Darvernum, Douram appellant, qui proximus est Angliæ portus, felicissime delatus est. Huc magno comitatu

Leges contra Polum latæ a Maria abrogantur.

Polus in Angliam transmittitur.

mitatu ad eum venerunt Elienſis Epiſcopus, & Montis acuti Dominus, multique alii deinceps nobiles, quorum nonnulli etiam propinquitate illi, ac neceſſitudine erant conjuncti. Ac toto quidem illo itinere multi paſſim occurrebant, qui Londino obviam ei proceſſerant, & qua tranſibat, omnibus locis magno honore, magniſque gratulationibus accipiebatur. Ad Graviſendæ ad Tameſis ripam, qui locus Londino abeſt XX paſſuum millibus, præſto illi fuerunt Dunelmenſis Epiſcopus, & Sarisburienſis Comes, unus ex regni optimatibus, qui & opibus, & auctoritate plurimum poterat. Hi duo regum verbis Polo ſalutem plurimam nunciant, deque ejus adventu gratulantur, ac diplomata de ipſius reſtitutione maximo regni ſigno communitum tradunt, & ſane pridie magno omnium conſenſu abrogata lex fuerat, qua ille, hoſtis patriæ, atque exul declarabatur, omnique nobilitatis jure ſpoliabatur. Atque hujus legis abrogationi Rex Philippus, & Regina, quo magis eam rem ſibi cordi eſſe oſtenderent, ſuumque erga ipſum Polum ſtudium declararent, extra ordinem interfuerant, cum bis omnino reges in conventu totius regni, quod Parlamentum vocari diximus, intereſſe ſolent, ſemel cum cogitur; iterum cum dimittitur.

mittitur. Inde Polus Navigium conſcendit, ac tum primum argentea crux Apoſtolicæ legationis inſigne, voluntate Regum prolata eſt, atque in prora, ut ab omnibus conſpiceretur, conſtituta. Ita quam plurimis comitantibus cymbis Polus ad regiam venit, quæ ad ripam Tameſis ſita eſt. Tum reges accumbebant, propterea quod eum non ita celeriter affuturum putarant, atque ubi adeſſe nuciatum eſt, confeſtim ſurrexerunt; ac Vintonien. Epiſcopus ſummus regni cancellarius, multique alii proceres ad ripam occurrerunt, ut egredientem navigio exciperent. Proceſſit Rex quoque obviam, ac venientem hilare, perhumaniterque complexus eſt. Regina eum ad ſummas ſcalas excepit, tantamque lætitiam, ac voluptatem animo capere ſe dixit, quod illum ſalvum, & incolumem aſpiceret, quantam cepiſſet tum, cum primum ipſius regni poſſeſſionem adiit. Cum regibus aliquantiſper commoratus eſt; deinde domum, quæ ad ripam citra fluvium erat, ab Epiſcopo Vintonienſi, nonnulliſque primariis viris, & ab iis omnibus, qui ei obviam in itinere proceſſerant, eſt deductus. Hæc ad Archepiſcopatum Cantuarienſem pertinebat, eamque Regina magnifico, ac ſplendido apparatu ornatam Polo ad habitan-

dum attribuerat. Is tertio die poſtquam venerat, Regem adit, ut de iis, quorum cauſa miſſus ſit, agere cum eo incipiat; cui Rex obviam venit extra cubiculum, literarum faſciculum ei inſcriptum deferens. Cujus ſane mirificam opportunitatem divinæ benignitati, quæ illi cauſæ plurimum faveret, acceptam in primis referebat. Etenim is forte Roma paulo ante perlatus fuerat, cum eoque Pontifex facultatum legati amplificationem miſerat, quæ maxime expetebatur. Poſtridie Rex ad legatum domum officii cauſa ſalutatum venit, & cum eo aliquandiu commoratus eſt, atque inter ſe uterque de ratione egerunt, qua regnum Angliæ ad Eccleſiæ unitatem revocandum eſſet. Hujus rei cauſa poſtero die habitus eſt in regia conventus coram ipſis Regibus, in quo Legatus quoque interfuit. Hic ſummus regni Cancellarius Polum Card. a Pont. Max. legatum ad reges, atque univerſum Angliæ regnum miſſum eſſe dixit, eumque, cum legationis ſuæ mandata regibus expoſuiſſet, illuc veniſſe, ut omnibus, qui aderant, qui totius regni velut corpus quoddam referrent, eadem exponeret. Tum Polus patria lingua ſatis longam orationem habuit, & priuſquam de cauſa dicere ingrederetur, ſibi antea non

Poli Oratio in conventu coram Regib. habita.

non modo illuc, ſed in ipſum regnum præcluſum fuiſſe dixit omnem aditum legibus, quæ contra ſe nominatim latæ eſſent. Has quod illi abrogaſſent, iis ſeſe pro tanto beneficio gratias agere, & habiturum ſemper, quantas poſſet maximas. Atque hoc quidem beneficium eo ſibi contigiſſe gratius, quod facultatem ſibi præberet viciſſim illis inſerviendi in tanta re, & cauſa, quæ tantopere ad eorum incolumitatem, & ſalutem pertineret, ſeque illuc propterea veniſſe, ut, quemadmodum ab illis in terrenam patriam, nobilitatemque reſtitutus ipſe fuerat; ita rurſus eos in cœleſtem patriam, ac nobilitatem reſtitueret, qua ipſimet ſeſe tum privaſſent, cum ab Eccleſiæ unitate deſciverant. Atque ex eo tempore quantas illi calamitates perpeſſi eſſent, & quantum nunc iis beneficium ſumma Dei benignitate, proponeretur; quantaque omni tempore extitiſſent in eos præcipue ſedis Ap. & Ro. Pontificum merita, commemoravit. Ut ſuperioris temporis errata demum agnoſcerent, eaque vere, atque ex animo deteſtarentur, & quod iis beneficium Deus Vicarii ſui nomine per ejus legatum detuliſſet, id omni animorum alacritate acciperent, ſtudioſeque retinerent, adhortatus eſt. Illud vero jam reliquum eſſe, ut,

cum

cum ipse adesset, claveſque attulisset, quibus fores Eccleſiæ illis aperiret, quemadmodum aditum ei in patriam patefecerant, legibus, quæ illum præcludebant, abrogatis: ita rursus leges omnes abrogarent, quæ contra ſedem Apoſtolicam latæ essent, quibus ipsi quidem a reliquo Eccleſiæ corpore abscisſi penitus, ac divulsi fuerant. Hæc dum legatus diceret, magno omnes silentio, attenteque audiebant, multi etiam manus sæpe tollebant, ut eos quidem valde commotos, nec mediocrem fructum cepisse jam ex legati oratione cerneres. Tum Cancellarius, regum, atque universi conventus nomine, legato gratias egit, eoſque inter se de iis, quæ ipse retulisset, deliberaturos respondit. Deinde cum legatus in proximum cubiculum seceſſisse, rursus ita exorsus Cancellarius, Prophetam ſuſcitavit Dominus ex fratribus noſtris, ut ſalvos faceret nos, breviter ea commemoravit, quæ legatus dixerat, atque hæc ipsa maxime confirmans, & se quoque una cum cæteris lapsum esse, & cecidisse confitens, admonuit, quantum hoc esset Dei beneficium, quod iis deferretur, atque ut omnes aliquando tandem exurgerent, & oblatam veniam amplexarentur, est cohortatus. Ita eo die discessum est. In proximo conventu,

Summi Cancellarii Vintonienſis Ep. Oratio in conventu coram Regib. habita.

ventu, qui postridie mane fuit, cum de eo relatum esset, ut ad Ecclesiæ unitatem rediretur, id omnes mirifica consensione approbarunt. Atque insequenti die, qui dies Andreæ Apostolo sacer erat, universi in regiam convenerunt, misitque Rex ad legatum Arondelli Comitem, regiæ domus præfectum, una cum sex aliis primariis viris, Garteri ordinis qui appellantur, equitibus, totidemque Episcopis, qui eum in regiam deducerent. Is eo venit legati ornatu, atque omnibus insignibus, magnoque honore ab ipsis regibus est acceptus. In ipso conventu Cancellarius, quæ pridie acta essent, Anglice exposuit, atque eos, qui aderant, rogavit, num hæc ipsa rursus confirmarent, placeretque iis, ut ipsorum nomine venia peteretur, & ad Ecclesiæ unitatem, ac Pontificis Rom. supremi ejus capitis, obedientiam rediretur. Id cunctis magno clamore assentientibus, porrexit Cancellarius supplicem libellum regibus, quo universi, cum declararent, sese præteriti schismatis, atque eorum omnium, quæ adversus sedem Ap. & Rom. Ecclesiam admissa essent, pœnitere, profiterenturque, sese, quantum in ipsis quidem esset, eo ipso conventu leges omnes antiquare, quæ contra sedis Apost. & Rom. Ecclesiæ auctoritatem

ritatem latæ fuiſſent, Reges ipſos orabant, utpote quos Deus ab hac labe puros, atque integros conſervaſſet, veniam ſibi a Pont. Max. per ejus legatum impetrarent, atque ut in gremium matris Eccleſiæ, tanquam filii reciperentur, quos eorum omnium, quæ in illam antea deliquiſſent, vere, atque ex animo pœniteret; utque ejuſdem corpori, a quo divulſi fuerant, velut germana, & viva membra rurſus agglutinarentur. Hunc libellum Reges cum ipſi legiſſent, Cancellario reddiderunt, qui eum alta voce, ita ut exaudiretur ab omnibus, recitavit. Deinde ſurgentes legatum abibant, qui eis confeſtim occurrit; ac Regina tum ſuo, tum Regis nomine ab eo petiit, ut, quod ſupplici libello rogabatur, univerſo regno veniam tribueret, illudque ad Eccleſiæ unitatem aggregaret. Hic legatus, cum rurſus omnes conſediſſent, recitari juſſit, quæ ad ejus legationem, & facultate pertinebant, Bullam vocant, & brevia. Deinde in hanc ſententiam locutus eſt, ut diceret, immortales gratias ab univerſo conventu immortali Deo agendas eſſe, qui eis tam præclaram ſua errata corrigendi facultatem dediſſet, ac plane declararet, ſe illius regni præcipuam curam gerere, etenim, quemadmodum priſcis Eccleſiæ temporibus

Poli verba ad Populum.

bus Anglos hoc munere affecerat, ut primi omnium relictis gentium erroribus, verum Dei cultum publico consensu amplexarentur; ita nunc iisdem tribuisse, ut, cum sese ab Ecclesia sejunxissent, primi omnium, quam graviter deliquissent, agnoscerent. Quod si eos vere, atque ex animo pœniteret, quantum gaudii putandum esse capere Angelos ex tanti populi, tamque ampli regni conversione, quibus vel unius peccatoris pœnitens animus incredibilem afferre lætitiam soleret? Hæc, atque alia permulta cum legatus diceret, visi sunt omnes vehementer commoveri. Tum surrexit ipse, & cum omnes in genua procubuissent, universos, Anglice loquens, absolvit. Atque hæc postrema verba, In nomine patris, & filii, & spiritus sancti, vix protulerat, cum ab omnibus continuo acclamatum est. Amen, Amen. Ac dum ille absolutionem tribueret, Reginæ, & plerisque aliis præ gaudio, summoque pietatis studio obortæ sunt lacrymæ, omnesque, absolutione peracta, amanter inter se amplexabantur, atque hæc verba sæpius usurpantes, Hodie renati sumus, mutuo gratulabantur. Deinde in regiæ sacellum processum est ad agendas Deo gratias, ibique hymnus, Te Deum laudamus, decantatus est. Postridie

die ad Card. Polum ſalutandi cauſa domum venit Londinenſis civitatis Prætor, ( Mairum illi appellant ) atque una cæteri magiſtratus, cum permulti quidem adeſſent ex nobiliſſimis totius regni, & ampliſſ. viris, ab eoque petierunt, ut urbem, legati ornatu, atque inſignibus omnibus ingredi vellet, quod eum cuperent tanquam ſedis Ap. legatum accipere, meritiſque honoribus afficere. Hoc ille libenter annuit, poſtridieque, qui primus fuit Dominicus dies Adventus, magno comitatu Londinum ingreſſus eſt, cum ei tota civitas obviam proceſſiſſet, quæ illum ad D. Pauli templum deduxit, ubi ſacrum ſolemniter peractum eſt, affuitque Rex ipſe, & univerſa regni nobilitas, ac Vintonien. Epiſcopus ſummus regni Cancellarius concionem ad populum habuit, cujus argumentum ſumpſit ex illis Apoſtoli verbis, Tempus eſt jam de ſomno ſurgere: ac poſtremo Legatus omnibus, quicunque aderant, Pontificalem benedictionem ſimul cum indulgentia de more impertivit. His rebus confectis, deinceps religioni reſtituendæ, ac religioſis viris revocandis, contraque pellendis depravatæ doctrinæ hominibus, & hæreticis, qui ex omnibus partibus in Angliam convolaverant, aliquandiu vocatum eſt. Epiſcopatibus, qui aut

Polus Londinum ſolemniter ingreditur.

aut vacarent, aut ab hæreticis administra-
rentur, viri & pietate, & doctrina excel-
lentes præfecti sunt: qui postea mortua
Regina, cum iterum ea insula a fide Ca-
tholica desciviſſet, & ad vomitum, ut di-
citur, rediiſſet, præclarum suæ pietatis,
& constantiæ specimen dederunt. Nam
contemptis opibus, honoribus, divitiis,
spoliari omni re, atque in tetros carceres
includi, & certis capita sua periculis ob-
jicere, quam a sede Apostolica deficere
maluerunt. De Angliæ ad priſtinam fi-
dem reditu magna ubique gratulatio facta
est, magnaque lætitiæ significatio, omni-
busque locis supplicationes decretæ, ac
meritæ Deo gratiæ actæ sunt. Præterea
Julius III. Pont. Max. ampliſſimum Jubi-
læum promulgavit. Regina tres ad Pont.
legatos misit, qui ei cum ipsius, ac Phi-
lippi Regis viri sui, tum regni totius no-
mine obedientiam publice exhiberent.
Ex his pro ordine Eccleſiastico erat Eli-
ensis Episcopus; pro ipsis Regibus, ac
nobilium ordine Montis acuti dominus;
pro populo Juriſconsultus & eques Ed-
vardus Carnen, qui postea Romæ assiduus
Reginæ legatus permansit. Atque hi
quidem vix dum in Italiam pervenerant,
cum eis de obitu Julii renunciatum est.
Paucis post diebus S. Crucis Cardinalis

Pont.

Pont. Max. creatus est, qui, ut supra dix-
imus, Marcelli nomen, quo antea nomi-
nabatur, retinuit. Sed is quoque vigesi-
mo pontificatus sui die mortem obiit. Cu-
jus interitu tantum Polus dolorem acce-
pit, ut a lacrymis sibi non temperaret.
Atque ille quidem Ecclesiæ se calamitatem
deflere dicebat, quam, Marcello sublato,
impendere prospiceret. In Marcelli lo-
cum suffectus est Jo. Petrus Caraffa Card.
de quo ante demonstravimus, qui Paulus
IV. appellatus est, eique Angliæ oratores
obedientiam publice in Senatu, sicuti mo
est, detulerunt. Atque Elienſis Episco-
pus elegantem sane, & ad eam rem per
accommodatam orationem habuit. Dum
hæc Romæ fiunt, in Anglia Polus assidu
Reginam hortatur, ut Cæsaris, & Gal
animos ad pacis conditiones excitet. H
tandem Reginæ precibus adducti, nonnul
los ex suis primarios homines: qui de pa
ce agerent, alter in oppidum Ardres su
ditionis, prope Caletum; alter Grave
linum, miserunt. Regina quoque Cale
tum suos legatos ire jussit, in quibus prin
ceps legationis erat ipse Polus. Ac n
quid ad tam optatam rem deesset, Regi
næ jussu, ac sumptibus, patenti in campo
qui medius tribus hisce oppidis interjectu
erat, magno apparatu erectum est taber
naculum

naculum e tela contextum, quadrata forma, domiciliis quatuor e regione inter se crucis instar positis. Intervalla, quæ inter domicilia relinquebantur, tela, veluti muro quodam septa, ac fossa, valloque circummunita erant. Cardinalis eam partem, quæ vergebat ad Orientem solem, habebat; e regione ad Occidentem erant Angli; Meridiem Cæsariani; Septentrionem spectabant Galli. In medio amplissimus erat locus, telis item obductus, ac splendidissimis aulæis ornatus; in quem de pacis conditionibus disceptatum omnes conveniebant. Verum animis utrinque a concordia abhorrentibus, infecta re discessum est. Cardinalis Polus in Angliam revertitur; nec ita multo post ei Regina Archiepiscopatum Cantuariensem, qui jampridem vacabat, detulit; quem ille cum antea multum, diuque recusasset, tandem ne ipsius Reginæ voluntati omnino repugnare videretur, quæ id vehementer ab illo contendebat, atque ita religioni, & rebus Ecclesiasticis in eo regno expedire affirmabat, annuere est coactus; deque ea re Pontificem Max. certiorem fecit, testatus, se quidem, si ei sic placeret, Archiepiscopatum accepturum, sed ita, ut sibi Romam non esset amplius remigrandum; ne scilicet ab ea Ecclesia tam longe discederet,

deret, abeſſetque, quæ fidei ſuæ, & cur
eſſet commendata: & cum nonnullis alii
de rebus, tum etiam ob hanc ipſam cauſam
Romam ad Pont. miſit Thomam Godvel-
lum, Epiſcopum Aſaphenſem, virum do-
ctum, & pium. Poſtea vero cum Card.
Moronus, qui Angliæ, ut vocant, pro-
tector erat, in Senatu de Polo relaturus
eſſet, deque aliis, quos Regina Epiſcopos
fieri vellet; Pontifex, reliquis Moron
permiſſis, de Polo verba ipſe facere volu-
it; atque ita cum de Regina ipſa, tum de
Polo dixit, ut nihil ad ſummam utriuſque
laudem addi poſſe videretur. Poſthæc ſa-
cerdotii ordine ſuſcepto, Polus Archiepiſ-
copatus inſignia, pallium quod nomina-
tur, Londini in ſanctæ Mariæ de Arcubus
accepit; quod templum ad Cantuarienſis
Archiepiſcopi jus, & adminiſtrationem
pertinebat, atque ibidem rem divinam
primo fecit. Poſt peractum ſacrificium
concionem etiam habuit, cum magna eo
omnis ordinis hominum multitudo con-
fluxiſſet. Alias quoque concionatus eſt,
& maxime Cantuariæ in Eccleſia ſua, ac
nonnullis in locis, quæ ſuæ diœceſi conti-
nebantur. Ac cum plane intelligeret,
quanti referat, Epiſcopum, qui paſtoris
loco in Eccleſia ſit, præſentem ovibus ſuis
adeſſe, magnopere a Regina contendit, ut

ſibi

ſibi in Eccleſia ſua perpetuo manere, aut certe majorem anni partem liceret, & gregi paſcendo, qui ſuæ curæ, & fidei commiſſus eſſet, operam navare. Sed Regina id ſibi perſuaderi non eſt paſſa, cum diceret, multo utiliorem futuram ejus operam non ſolum ipſi regno, ſed religioni etiam, ſi apud ipſam eſſet, quam ſi Cantuariam ſecederet; & ſi capiti, unde totius corporis penderet ſalus, magis, quam uni alicui membro inſerviret. Hoc idem plane affirmabant Theologi, atque optimi nonnulli viri, quibus cum locutus eſt de ea re Polus, negabantque omnino licere ei, ſi ſuam conſcientiam, ac pietatem ſalvam vellet, Reginæ tali reip. tempore deeſſe, aut longius ab ea recedere: præſertim cum & Catholici tunc potiſſimum eſſent adjuvandi, & hæretici repellendi. Et ſane cum Reginam circumſiſterent non pauci, qui religioni Catholicæ infenſi eſſent, ejuſque in Anglia progreſſus, quibus in rebus poterant, occulte impedirent; opus erat in primis Cardinalis Poli præſentia ad eorum conſilia repellenda, ne quid detrimenti vel reip. vel ipſi religioni afferrent. Quod quidem Philippus Rex plane intelligens, cum ſibi in Belgas neceſſario trajiciendum eſſet, apud Reginam Polum manere voluit, qui omnibus

consiliis, quæ ad regni administrationem pertinerent, non interesset solum, sed præesset, quod onus ille primo quidem vehementer recusavit; cum diceret, id vitæ suæ instituto, ac professioni minus convenire; huc vero etiam illud accedere, quod, cum Pontificis Max. legatus esset, suscipere id sine ejus permissu sibi non liceret, sed cum Regis, simulque Reginæ voluntati, atque etiam efflagitationibus obsistere diutius non posset; eis tandem ita assensus est, si Pontifici Max. idem videretur, sibique ea potissimum essent curanda, quæ ad religionem, & ad rem Ecclesiasticam pertinerent. Cum vero nihil prætermitteret, quod ad Christianam pietatem penitus restituendum, & ad sarciendas Ecclesiæ superioris temporis ruinas spectare videretur; illud etiam agere cum Regina instituit, ut, quæ bona Henricus pater, Ecclesiæ per vim adempta, ad regia vectigalia adjunxerat, ac regii omnino juris, possessionisque esse decreverat; hæc, ipsa Ecclesiæ redderet; deque ea re hortationem præclare scriptam ad Reginam misit. Neque vero illa se rogari diutius passa est, sed abjecta omni cunctatione, dimisit omnia, eaque arbitrio, ac potestati Rom. Pontificis, ejusque legati permisit; quæ bona Polus, re prius sedulo

ſedulo cum Epiſcopis deliberata, ita ſingulis Eccleſiis diſtribuere inſtituit, ut maxime ad cultum Dei augendum, & ad rem Eccleſiaſticam conſtituendam expedire videbatur. Atque hæc quidem prope dimidiam fructuum partem conficere dicebantur, quos antea florentibus rebus Eccleſiaſtici percipiebant. Ac ne qua turba excitaretur; placuit, conſentiente Pontifices, nihil de reliquis bonis quæri, quæ paſſim multi poſſidebant, ſed liberum omnibus relinqui, id agere, quod quiſque vellet. Nec vero deſperabant, futurum, ut vera pietate, religioneque revocata, multi multa ultro redderent; cum præſertim iis ad imitandum tam præclarum Reginæ exemplum propoſitum eſſet. Cum autem Eccleſiaſticam diſciplinam ſuperiorum temporum injuria plane labefactatam, atque collapſam videret Cardinalis, in eam præcipue curam, & cogitationem incubit, ut, quam maxime poſſet, illam reſtitueret. Itaque cum Epiſcopi omnes Londinum ad totius regni concilium conveniſſent, id tempus maxime idoneum ad celebrandum ſynodum exiſtimavit. Id quod maxima non ſolum Epiſcoporum, ſed reliquorum etiam Eccleſiaſtici ordinis frequentia, qui undique erant convocati, factum eſt. Et cum multi dies tum in ma-

lis ſingularum Eccleſiarum cognoſcendis, & quaſi vulneribua nudandis, tum in remediis, quæ maxime neceſſaria, atque opportuna viderentur, conquirendis, poſiti eſſent, confecta eſt totius Anglicanæ Eccleſiæ reformatio, (ſic enim vocant) temporibus illis peraccommodata, literiſque mandata eſt. Cujus exemplar Cardinalis ad Pont. Max. miſit, ut non prius, quam ab eo comprobata fuiſſet, ederetur. Uſus eſt autem ad eam rem egregia opera, Nicolai Ormaneti Veronenſis, viri integerrimi, atque harum rerum peritiſſimi; qui item reliquis in rebus, cum apud eum Datarii munere fungeretur, in tota illa legatione magno illi uſui fuit. Erat præterea Cardinali propter hæreticos aſſidue laborandum, quorum etſi multi ex Anglia profugerant, magnus adhuc tamen reliquus erat numerus. Nec vero quicquam ille prætermittebat, ut mitius cum illis ageretur, neque ad ignem, aut ferrum veniendum eſſet; ſed tanta erat in pleriſque animorum obſtinatio, ac pertinacia, ut benignitati, & clementiæ nullum plane locum relinquerent. Quæ res Cardinali magnum ſane dolorem afferebat. Nihil enim acerbius illi accidere poterat, quam quorum ſalutem tanto ſtudio quæreret, in eos cogi durius animadvertere, cogitabatque,

batque, quod ſæpe etiam dicere ſolebat, & reliquos Epiſcopos non ſolum judices adverſus illos, ſed patres judices eſſe conſtitutos. Cum nonnullis etiam interdum ipſe collocutus eſt, eoſque aut diſputando convincere, aut increpando, admonendo, rogando etiam, atque hortando in viam reducere conabatur. Id quod cum in aliis quibuſdam perfecit, tum vero in Joanne Gleco, homine literis latinis, & græcis admodum erudito, & magni in Anglia nominis; quo etiam doctore, & magiſtro Edvardus Rex uſus fuerat. Iſque poſtea coram Regina, multis ex omni ordine abſtantibus, cum ſui erroris ſe pœnitere oſtendiſſet, veniam ſupplex deprecatus eſt, atque impetravit. Non minorem antea quoque curam, & ſtudium Polus adhibuerat, ut ſaluti Thomæ Cranmeri, qui ante ſe Archiepiſcopus Cantuarienſis fuerat, quique tum Oxonii, quod oppidum bidui iter Londino diſtat, in cuſtodia aſſervabatur, conſuleret; ad eumque bis etiam ſcripſerat, ſi poſſet pravis ejus opinionibus contra Sacramentum altaris, & primatum Pontificis Romani confutatis, ad ſanitatem illum perducere. Cujus rei magnam quidem ſpem initio ille dederat, eique veniam Polus ab ipſa Regina impetraverat, quanquam ea non publico ſo-

lum, ſed etiam privato nomine, illi meritiſſimo jure eſſet infenſa. Verum poſtea cognita ejus ſimulatione, ad quam natus, & factus eſſe videbatur, & qua omnibus in rebus tota vita uſus ſemper fuerat, ea tandem pœna eſt affectus, quæ ejus regni legibus in hæreſim conſtituta erat, vivuſque crematus eſt. Jam vero nonnulla tum Londini, tum aliis quoque in locis monaſteria Cardinalis opera, ac ſtudio, ſummaque Reginæ pietate erant reſtituta; jam templa paſſim religioſe frequentari; jam fides Catholica, & verus Dei cultus magis, ac magis renaſci cœperat. Atque ita quidem rebus in Anglia conſtitutis, non ſatis ſibi factum putabat Regina, niſi reliquas etiam Chriſtiani orbis partes a bellorum calamitatibus, ac miſeriis, quibus multos jam annos crudeliter vexabantur, reſpirare cerneret. Quare omni cura, cogitationeque eo converſa, nihil prætermittebat, quod ad pacem pertinere intelligeret. Ac tandem cum inter Cæſarem, & Gallum quinquennales induciæ factæ eſſent, diuturno, miſerabilique bello afflictæ provinciæ in magnam firmæ alicujus pacis ſpem erigebantur, atque univerſa Chriſtiana reſp. quæ duorum inter ſe potentiſſimorum Principum dimicatione ita languebat, ut ægre jam ſpiritum

duceret,

duceret, magna lætitia, ac voluptate perfusa, plane recreari, & quasi revivisscere incipiebat. Sed improbus humani generis hostis, qui nostræ felicitati semper invidet, discordiarumque sator est, ac parens, non diu Christianam remp. optata quiete frui passus est, sed odii, ac dissensionum, vel ut quibusdam seminibus inter Pontificem, & Philippum Regem jactis, brevi magnum in Italia bellum excitavit. Quo quidem tempore Card. Polus nullum finem faciebat hortandi, rogandi, monendi, tum apud Reginam coram, tum per literas, ac nuncios apud Philippum, qui tunc in Belgis aberat, si qua posset iniri pacis & concordiæ ratio. Misit Romam quoque ad ipsum Pont. Henricum Pinningum Anglum, qui in Italia diu secum fuerat, & cujus opera multis in rebus utebatur, qui ei a se omnia officia, ac studia deferret; & quid cum Regina, & cum Rege ipso egisset, ut arma ponerentur, exponeret; simul &, numquid se tali in re, & causa vellet jubere, cognosceret. Ostendit primum Pontifex, sibi pergratam accidisse Poli hanc officii erga se, ac studii significationem, eique gratias egit, sed postea sive vetere odio, sive invidorum quorundam malevolis sermonibus, qui Polum Pontifici in suspicionem adduxerant,

duxerant, quod illum ejus cœptis obſtare dicerent; ſive etiam literis commotus, quibus eum Polus ad pacem hortabatur, quod ſcilicet moleſte ferret, videri ſe a quopiam officii ſui, ac muneris admoneri, etſi in ſcribendo ille omnem modeſtiam, ac reverentiam adhibuerat; maximam præ ſe tulit ab eo animi, voluntatiſque abalienationem. Itaque abrogata Polo legatione, eum Romam accerſit, & Gulielmum Petum Anglum, qui Franciſcani ordinis, atque inſtituti erat, Cardinalem ſimul, & Angliæ legatum facit. Hac re cognita, vehementer Regina perturbata eſt. Nam, etſi erat Gulielmus vir pius, & Catholicæ religionis ſtudioſus, multoſque annos in Italia cum Card. Polo verſatus fuerat, tamen quia jam extrema, & pene decurſa ætate, ac popularis, non nobilis erat, minime idoneus videbatur ad tantum munus, in Anglia præſertim, ac tali tempore ſuſtinendum; cum, reſtituta nuper Catholica religione, magnæ adhuc præteriti ſchiſmatis, atque hæreſum reliquiæ extarent, vetuſque Eccleſiaſtici ordinis, atque inprimis cœnobitarum omnium, & monachorum odium, atque contemptio in multorum animis reſideret. Quæ quidem incommoda cum in Gulielmo concurrerent omnia; in Card.

Polo

Polo ineſſent perpauca; hæc in altero nulla res prorſus levabat; in altero ſumma nobilitas, excellens doctrina, ſingularis probitas, & ſanctitas facile ſuperabant, ut hæretici, ac pravi homines, quem propter religionis, ac vitæ inſtitutum ab ipſis diſſidens, fortaſſe oderant, eundem tamen revereri, ac ſuſpicere cogerentur. Ob has cauſas Regina cum ejuſmodi nuncio magnopere eſſet commota, huic rei ſtatim prævertendum exiſtimavit. Itaque tota re Polo occultata, jubet, ne cui Roma venienti trajectus in Angliam pateat; & ſi quæ literæ afferantur, eæ tabellariis ademptæ, ſibi tradantur, neve quis cum Gulielmo Card. deſignato verbum ullum de ea re faciat; ſimul Oratori ſuo, qui Romæ erat, per literas mandat, Pontifici ſuis Verbis nunciet, Angliæ in fide retinendæ minime accommodatam eſſe rationem hanc ab eo initam; imo vero ſi in ea diutius perſiſtat, fore, ut omnia in pejus ruant, & Catholicæ religionis nervi, avocato Polo, incidantur: vetereſque in Anglia, atque adeo veteribus pernicioſiores tempeſtates exoriantur. Nec vero ſe adduci poſſe, ut credat illum, ſi cognitum haberet ejus regni ſtatum, hujuſmodi conſilium capturum unquam fuiſſe, Quocirca rogare, atque obſe-

crare,

crare, quid agat, pro ſua pietate, & ſapientia, diligenter etiam, atque etiam conſideret; ſe quidem Deum, atque homines conteſtari, rerum, quæ eventuræ ſint, ſi in eadem ſententia perſeveret, nullam ſe cauſam præbuiſſe. At Pontifex, qui illud unum ſpectaret, ut ſive jure, ſive injuria, Polo incommodaret, nec vero quicquam penſi præterea habere videretur; Reginæ per Oratorem reſpondit, ſe Polum propterea accerſere, quod haberet, de quibus cum eo ageret; eaque permagni intereſſe. Significabat autem, quod alias etiam non obſcure quibuſdam ſermonibus indicaverat, ſuſpectum ſibi Polum eſſe religionis nomine; velleque de nonnullis, quæ ad fidem pertinerent, quid ille ſentiret, exquirere. Ad hæc Regina; ſi Polum ſuſpectæ religionis cauſa accerſeret, non arbitrari ſe, hanc depravatæ fidei ſuſpicionem veterem eſſe: non enim futurum fuiſſe, ut ipſe Pontifex tantis eum laudibus coram univerſo Cardinalium collegio afficeret, cum ei Cantuarienſem Eccleſiam tradidit. Quod ſi novæ ab eo tempore ſuſpiciones ortæ eſſent (quod quidem evenire potuiſſe, ſibi veriſimile non videri) ſed ſi quæ tamen ſubortæ eſſent, certiorem ſe omni de re faceret, curaturam ſe, ut de more, atque ex ejus regni legi-

bus

bus ad ordinis Eccleſiaſtici tribunal in Anglia Polum ſiſteret. Hoc Reginæ reſponſo Pontificis ſtudium, atque incitata illa vexandi Poli, ſanctiſſimi viri, cupiditas aliquantum retardata eſt. Addebat, Polum a ſe ob eam item cauſam accerſiri, ut ejus dicta cum Card. Moroni dictis componeret, quem, eaſdem cauſas prætexens, paucis ante diebus in cuſtodiam tradiderat. Hæc ubi Polus cognovit, ſuſpicans id, quod erat, Pontificis ad ſe literas a Regina fuiſſe interceptas, ut ſe Pontifici dicto prorſus audientem præberet, crucem argenteam ante ſe geſtari, quod legationis erat inſigne, prohibuit, ſimul & ab omni legati muneris functione deſtitit. Tum vero, ut, quid ſe Pontifex juberet, plane intelligeret; ſeque paratum eſſe, omnia facere, oſtenderet; Nicolaum Ormanetum Romam per diſpoſitos equos mittit, eique mandat, ut Pontifici totius legationis in Anglia a ſe geſtæ rationem reddat; & quo in ſtatu ſint, quæ ad religionem pertinerent, exponat; ſimul &, quam ſibi moleſta, & acerba illa acciderint, quæ de ſuſpecta apud ipſum Pont. fide ſua inaudiverit; & quam hæc ab iis aliena ſint, quæ ipſe pro ſedis Apoſtolicæ dignitate, & Catholicæ fidei propugnatione geſſerit, ſcripſerit, perpeſſus ſit,

sit, demonstret. Ormanetum ad se ve-
nientem Pontifex humaniter, ut præ se
ferebat, accepit, & quæ in mandatis ha-
bebat, exponentem perquam attente au-
divit. Quoniam autem illo ipso tempore
duplicem de re male gesta nuncium acce-
perat; alterum de Gallorum cæde ad
sancti Quintini oppidum; quo loco etiam
Conestabilis cum omni fere nobilitate
captus erat; alterum de strage sui exerci-
tus in Campania ad Signiam edita; ira-
cundiam cum in ipsum Philippum, tum
etiam in Polum multo ante conceptam
dissimulavit. Quin etiam, ut ipse Orma-
netus mihi narravit, ita omnem pravæ
religionis suspicionem de Polo a se re-
movit, ut diceret, hos esse malevolos ini-
quorum hominum sermones, quorum lin-
guæ contineri nequaquam possent. Chri-
sto etiam servatori nostro quam multa,
quam inique, falsoque objecta fuisse, ut
minime mirum videri deberet, si quis de
nobis detraheret? Deinde vero post pa-
cem cum Philippo Rege initam, fratris
sui filium Card. Caraffam, se missurum
respondit; qui & cum Rege ipso, & cum
Polo omnibus de rebus ageret. Hoc nun-
cio Card. Polus aliquantum recreatus est.
Sed non ita multo post magnum dolorem
cepit tum ex Reginæ dolore, tum ex re

ipsa,

ipſa, quæ Reginæ doloris cauſam afferebat. Nam cum Regina terra, marique bellum cum Gallis geri, eoſque Caletum, & reliqua oppida, quæ citra mare ipſius eſſent, occupaſſe; virum etiam ſuum in Belgis bello implicitum videret; ingentem animo mœrorem capiebat. Huc acceſſit etiam acerbiſſimus de Caroli V. ſoceri ſui morte nuncius, qui in Hiſpania diem ſuum obierat. His curis illa, ac moleſtiis vehementer exercita, accedente etiam aqua inter cute, ex qua initio cum tumentem alvum geſtaret, pregnans eſſe credita fuerat, ob idque nec ulla remedia erant adhibita, & alia victus ratione, atque oportuit, ipſa uſa fuerat: in febriculam incidit, qua in dies ſenſim creſcente, abſumpta eſt anno MDLVIII. Ac ne quid ad ſummam Angliæ calamitatem deeſſet, Cardinalis etiam Polus quartana febre duplici laborare cœpit. Quam ille eum valde moleſtam eſſe, morbumque quotidie augeri ſentiret, eadem prudentia, & pietate, quam antea ſemper in ſuis actionibus adhibere ſolitus erat, de iis, quæ poſt mortem ſuam, ſi ea contingeret, agi vellet, conſtituit. Scripto teſtamento, in quo præter cætera fidei ſuæ, & religionis argumenta, ſummam quoque ipſius erga ſedem Apoſtolicam, & Rom. Pon-

Mariæ Reginæ obitus.

Aloysii Prioli amicitia erga Polum.

Pontificem obſervantiam, ac pietatem extare voluit; Aloyſium Priolum, patricium Venetum, quem unice amaverat, & ſemper fratris loco habuerat, ſuarum rerum omnium heredem inſtituit, ejuſque arbitrio permiſit, ut cum alia quædam ipſius legata diſtribueret, tum iis, qui ſe longinquis e partibus ſecuti fuerant, ſibique miniſtraverant, id ſingulis dono daret, quod cujuſque diligentiam, atque operam promeritam judicaret. Is cum hereditatem recuſaret, neque tamen propterea diſtribuendorum legatorum onus ſuſcipere nollet; rogavit eum Polus, quod etiam in ipſo teſtamento perſcribi voluit, ut aliquam ſaltem bonorum ſuorum partem ſibi ſumeret, quæ tanquam aliquod veteris, ac perpetuæ inter ipſos conjunctionis pignus, ac monumentum extaret. Hoc ille plane renuit, ſeque jam inde ab initio cum in ejus ſe familiaritatem contulerat, longe alterius generis bona ſecutum, ex eiſque plurima aſſecutum eſſe reſpondit. Atque ita, cum heres ſcriptus eſſet, nihil ex hereditate capere voluit, præter duos libellos, ex quibus Polus Deum precari ſolitus erat, Breviarium vocamus, & Diurnale. Atque hic quidem eſt Priolus ille, quem initio diximus, anno MDXXXII. Patavii in arctiſſimam Poli con-

consuetudinem veniſſe, neque ab ejus latere unquam ex eo tempore diſceſſiſſe, ſed omnium itinerum, legationum, laborum comitem, ac ſocium; ſtudiorum item, conſiliorum, actionum omnium participem fuiſſe, ut neque ullis honoribus, nec dignitate, quæ illi cum in patria ſua, in qua ſumma eſt ejus familiæ nobilitas, atque amplitudo; tum Romæ non ſemel proponebatur, a Poli conſuetudine avelli poſſet. Qui etiam, quo tempore Senatus Venetus, permiſſu JULII III. Pont. Max. quatuor ex omni civitatis nobilitate patricios nominarat, atque in his Priolum, quorum unum Pontifex Cardinali Duranti, qui adhuc vivebat, in Epiſcopatu Brixienſi poſt ejus mortem ſucceſſorem futurum declararet; cum Pontifex ipſum Priulum delegiſſet, & quidem ſumma cum voluntatis ſuæ, ac ſtudii erga illum ſignificatione, maximo etiam virtutis ejus, probitatiſque teſtimonio dato; tamen amicorum, & conſanguineorum precibus, ac cohortationibus vix adduci potuit, ut aſſentiret, ob eam in primis cauſam, quod ſi Duranti, qui ætate jam prope exacta erat, humanitus aliquid accideret, ſibi Poli conſuetudine carendum fore intelligeret, quam omnibus divitiis, omnibus omnique dignitati facile anteponebat.

bat. Poſt ejus mortem XX. totos menſes, quibus illi ſuperſtes vixit, in colligendis magno labore ejus rebus, quæ variis in locis disjectæ erant, & in illis ſumma cum fide diſtribuendis conſumpſit. Facto teſtamento Polus, cum vehementius indies febris illum vexaret, a fluxis hiſce, & caducis rebus ad æternam illam, beatamque vitam animum, cogitationeſque omnes traducens, certiſſimo ſe, & firmiſſimo adverſus omnes communis noſtri hoſtis inſidias, atque impetus, Eccleſiæ ſacramentorum præſidio, quo perſæpe uti ſolebat, munivit; ac quamvis magna vi febris nimium jam debilitatus eſſet, quotidie tamen, ut antea ſemper fecerat, ſacrum audiebat, & ante, quam ſacerdos ſacram hoſtiam, ſicuti mos eſt, attolleret; e lecto, adjuvantibus miniſtris, ſurgebat, atque humi in genua procumbebat, ut ita quam humillime ſuum, & univerſi terrarum orbis conditorem veneraretur. Sæpe divinarum literarum acroamate ſeſe oblectabat, & in vehementi febris ardore ex ea auditione veluti refrigerationem quandam, & allevamentum ſentiebat. Pridie ejus diei, quo e vita diſceſſit, extremæ unctionis ſacramentum ſua ſponte ipſe, nemine monente, poſtulavit, & ad extremum uſque ſpiritum & locutus eſt,

& præclare ſibi ſemper conſtitit, ac tam leniter, quieteque animam ipſam efflavit, ut dormientis ſpeciem magis, quam morientis, vultus ejus, ac totus corporis habitus referret. Obiit autem, quod ſane mirum videri queat, eo ipſo die, quo Regina. Etenim hæc XVII. Kal. Decemb. mane, ille ad tertiam noctis horam e vita migravit, ut non longius, quam XVI. horarum inter utriuſque obitum intervallum fuerat. Quærenti Polo ſæpe de Regina, ut ſolitus erat, cum ejus mors diutius jam occultari non poſſet, reſponſum eſt, ſuum illam diem obiiſſe. Quo nuncio nihil ipſe exterritus, magna, & conſtanti voce, ut, qui aderant, omnes mirarentur tantum illi adhuc ineſſe virium, cœpit de divina providentia eloqui, atque oſtendere, quam hæc ſe, Reginamque perpetuo tutata eſſet, ut maxime ſimilis utriuſque vitæ curſus fuerit: nec vero dubitare ſe, quin vellet Deus, eundem quoque utrique eſſe extremum vitæ diem. Sperare item, Deum Opt. Max. quæ ejus eſſet miſericordia, Angliæ regnum non prorſus deſtiturum, atque ita ſe in ipſa Dei providentia, quemadmodum ſemper feciſſet, prorſus acquieſcere. Ante, quam mortuus eſt, ut mihi narravit Aſaphenſis Epiſcopus, qui his rebus omnibus interfuit,

Poli obitus.

fuit, quique extremæ unctionis oleo eum inunxit, percunctatus est, num sacrarum precationum liber, quibus morientium animæ Deo commendari solent, præsto esset; cum in promptu esse diceretur; liber etiam ei ostenderetur; tempus adest, inquit, quo utendum illo est. Ita pie admodum, Christianeque decessit, ac, cum LVIII. annos, & sex menses vixisset, optimam, & piissimam Reginam in beatorum sedes exiguo intervallo prosequutus est. Corpus in arcam plumbeam inclusum, de more illius gentis in cubiculo ejusdem domus pullis pannis obducto XL. dies asservatum est. Ibi quotidie ad minimum quater sacrum peragebatur. Posthæc comitantibus multis, magno cum honore Cantuariam deportatum est, quæ ab urbe Londino XL. passuum millibus distat. Obviam itum est ad portam ab universis civibus, & a cuncto sacerdotum ordine, ac justis triduo peractis, laudatione etiam tum Latine, tum Anglice habita, corpus conditum est in sacello D. Thomæ sacro.

Habitus corporis Poli.

Atque hic quidem fuit summi illius viri vitæ cursus. Operæ pretium autem fortasse fuerit, non nihil etiam de ejus corporis habitu, atque animi moribus particulatim attingere. Statura fuit mediocri, corpore exili, & macro; colore candido, admixto

admixto rubore, ut fere ſunt Angli; facie paulo latiore, oculis lætis, benignitatem, atque humanitatem præ ſe ferentibus; barba juveni fuit colore flavo. Corpore etſi non admodum valido erat, proſpera tamen valetudine, ut plurimum, utebatur, niſi quod aliquando catarrhus in alterum brachium delatus, tum eam corporis partem infeſtabat, tum alteri etiam oculo ruborem ſuffundebat. Cibi parcior erat, quamvis ventriculo eſſet bilioſo, & appetentiore, cujus generis homines inediam minime ferunt. Bis in die cibum ſumebat, & in cœna quidem parcius. Ac tanta fuit continentia, ut nulla unquam ciborum varietate, nulloque condimenti genere capi poſſet, ut alios cibos ſumeret, quam quos valetudini ſuæ utiles eſſe intelligeret. Ac ſæpe animadverſum eſt a ſuis, celerius eum cibos illos dimittere ſolitum, qui eſſent delicatiores, atque ipſi etiam magis placerent. Menſa tamen utebatur ſatis laute, & copioſe apparata, ſive quod ita patrio more erat inſtitutus; ſive quod non id a ſe propter nobilitatem, & dignitatem alienum eſſe arbitrabatur; ſive etiam convivarum cauſa, qui ad eum frequentes veniebant, honeſti cum primis, & nobiles viri. Circa corpus minimo familiarium miniſterio utebatur. Solus

interdum, ac perſæpe etiam, nullius opera adhibita, & cupidum ſe recipiebat, & e lecto ſurgebat. Omnis expers libidinis tota vita tum in Anglia, tum extra Angliam habitus eſt. Divitiarum nunquam fuit cupidus: liberalis, & ad donandum ita proclivis, ut tamen rationem ſuarum fortunarum haberet. Id dabat operam, ut, quoad ejus fieri poſſet, nihil ſuæ familiæ, quam habebat, virtute magis, ac moribus, quam numero,& multitudine ſpectandam, vel ad victum, vel etiam ad corporis cultum deeſſet. Impenſas autem ſic temperabat, ut ſumptus cenſum non ſuperaret. Atque hanc quidem rationem ſemper ſecutus eſt, ut, quo major ſibi fortunarum acceſſio fieret, eo magis ſumptus augeret. Memoria teneo, eum Tridenti, cum iterum legatus eſſet, quatuor millia aureorum nummum expenſione quadam ſibi allata, in ſuos familiares viritim diviſiſſe, pro cujuſque meritis, ac dignitate. In Anglia item ad decem millia aureorum iis diſtribuit, qui ſe ex Italia ſequuta fuerant; quorum etiam qui redire voluerunt, his equos, & viaticum attribuit. Idem, cum quid accidebat, ubi magnifici ſumptus faciendi eſſent, ita ſe gerebat, ut Rege dignum animum agnoſceres, neque tamen ſuis ſe viribus interea non metiebatur.

Mode-

Modeſtiam in omnibus ſuis actionibus, & virginalem quandam verecundiam ita retinuit ſemper, ut male etiam apud nonnullos audiret, quaſi animo nimis humili, & abjecto eſſet. Sed ille nimirum cum ſibi ante oculos propoſitum haberet Chriſti Domini, & ſervatoris noſtri exemplum, id inprimis ſequi, ad idque vitam ſuam conformare quam maxime ſtudebat. In Anglia cum ſumma eſſet apud Reginam ipſam, & primarios omnes auctoritate, & gratia, ut facile ſperare poſſet ea ſe obtenturum, quæ peteret, tamen ita uni religionis cauſæ, propter quam miſſus a Pont. fuerat, perpetuo inſervivit, ut, ne rem magis ſuam agere videretur, quam publicam; neve id legationi ſuæ aliquo modo poſſet officere; pro ſe nihil unquam petierit, ne ea quidem, quæ jure ad ſe pertinerent; nec ſuorum precibus adduci potuerit, ut de Comitatu Varvichienſi, qui ante, quam ab Henrico ipſe proſcriberetur, hereditario jure ad ſe devolutus erat, vel unum verbum faceret. Idem legationis facultates cum haberet ampliſſimas, quibus ſi uti vellet, quemadmodum in more, & conſuetudine poſitum erat, magnos quæſtus, atque uberes facere poſſet, tamen illis ita ſemper uſus eſt, ut ſibi ea legatio ſumptui magis, quam emolu-

mento esset. Gratis enim dabat omnia; ac si cui aliquando multa ex legibus esset irroganda, ejus pecuniæ nihil ad ipsum perveniebat, sed omnis ut vel ad necessarios pietatis usus, vel ad pauperum, atque egentium sublevationem conferretur, curabat. Munera autem, ac dona, quæa multis multa pro vetusto, ac pene proprio ejus gentis more non ipsi modo, sed suis etiam deferebantur, nec accipebat ipse, nec suorum quenquam accipere patiebatur. Placidis, & suavissimis moribus fuit; ac quoniam magnum rerum usum habebat, & plurima legerat, mirifice eos, qui ad se adirent, quodcunque hi studii, ac vitæ genus sequerentur, sermonibus tenebat; tantaque erat animi lenitate erga omnes, ut quemvis facile ferret, neque a sermone cujusquam, & colloquio refugeret, ne pravi quidem hominis, & qui male audiret ab omnibus. Oderat scilicet vitia, hominum ipsum amabat, eique quoquo modo prodesse ad colendam virtutem studebat. Cum summa autem comitate summam gravitatem conjunctam sic habuit, ut omnes illum non minus venerarentur, quam diligerent, de eoque ita sentirent, ut nihil, ipso præsente, aut dicerent, aut facerent, quod indignum esset, aut laude careret. Ac Julius quidem

Mores Polii.

dem III. de eo, & de Card. Marcello dicere ſolebat, ſe quidem, cum alteruter eorum adeſſet, ejus præſentiam ita vereri ſolitum, ut tum maxime caveret, ne quid diceret, aut augeret, quod non Pontificem Maximum maxime deceret. Comparationibus perſæpe, & ſimilitudinibus ad rem, de qua ſermo eſſet, valde oppoſitis, uti ſolebat, atque ita quidem, ut tum primum e re natæ, non curioſius conquiſitæ viderentur, cujuſmodi etiamnum in ejus ſcriptis ſparſæ paſſim apparent. In ejus ſermonibus multa quoque facete, & acute dicta obſervabantur. Ego de plurimis paucula quædam, quæ in mentem venerunt, annotavi. Cum inter loquendum mentio de quodam Epiſcopo incidiſſet, qui Romæ viventes, & ſuum munus deſerentes Epiſcopos reprehendere ſolitus eſſet, & ipſe tamen Romæ verſaretur; Similiter, inquit ille, hic noſter facit, ut qui alii odore offenduntur. Nam ſi cum aliquo agendum ſit, qui allium ederit, idem ipſi quoque deguſtant, ne gravem ejus odorem ſentiant. Sermo erat de juvene quodam, docto illo quidem, ſed nimis audaci, & ad judicandum prompto. Ille vero, doctrina, inquit, in juvenibus idem prope efficit, quod muſtum in lacu ſolet. Ibi enim fervet, atque ebullit, ſed

Facete & acute dicta a Polo.

ſimul

ſimul ac purgatum in dolium includitur, collectis viribus conquieſcit. Quidam, Aſtrologiæ perquam ſtudioſus, cum ejus ſe genituram ad aſtrorum poſitus examinaſſe diceret, & magna quædam de eo portendi affirmaret; tum Polus, fieri quidem poſſe, quæ ille aſſeveraret, ſed meminiſſet, iterum ſe natum eſſe, atque eum quidem natalem diem, quo renatus eſſet, priori illi tenebras offudiſſe. Significabat autem ſacrum baptiſmatis lavacrum. Cum quidam diceret, in ſacrarum literarum ſtudio ita verſandum eſſe, ut nullum aliis ſtudiis tempus relinqueretur, & alius quidam adjeciſſet, reliquis literarum ſtudiis, ut ancillis utendum eſſe; ipſe, An neſcis, inquit, Agar, propterea quod ancilla eſſet, domo ejectam fuiſſe? Solebat Epiſcopum quendam amice admonere, ne ſuas oves deſereret; ſed relicta urbe, domum ad ſuum munus peragendum abiret. Is aliquando ad eum venit, & ſe ſtatuiſſe dixit ad unum menſem excurrere, ac ſuas oves inviſere, propterea petere, ut bona ejus venia diſcedere ſibi liceret; tum Polus, Hoc ex tuo diſceſſu ſolatii capio, quod minus vapulabis. Cum oſtenſæ eſſent illi literæ, magno artificio conſcriptæ, quibus quidam magnum quendam virum de amici morte conſolabatur,

ſolabatur, & ad eam rem omnes artis locos adhibuerat: his lectis, nunquam ſe antea ullas literas legiſſe, quæ majorem conſolationem afferrent, dixit. Ejuſmodi enim eſſe, ut, qui eas legeret, a riſu ſibi temperare non poſſet. Audito quodam magni nominis concionatore, qui ſibi multum arrogabat, vehementerque ipſe ſibi placebat, cum quæſitum ab eo eſſet, quid de illo ſentiret; Bene, inquit, ſed vellem ſibi prius, deinde aliis concionaretur. Romæ dicenti cuidam viro nobili, ſperare ſe, hortos ſuos, quos magnifice inſtruxerat, illum etiam poſt XXX. annos viſurum, & eorum pulchritudinem admirationi ei futuram; Non arbitror, inquit, ita male me de te meritum eſſe, ut tam longum a cœleſti noſtra patria exilium mihi optare, aut etiam ominari debeas. In Belgis cum quodam die Carolum Cæſarem adire vellet, nec ſibi tum aditus ad eum pateret, ſed biduo poſt Epiſcopus Atrebatenſis, a Cæſare ad ipſum miſſus, hanc moram excuſaret, eumque accerſeret: Mirum ſibi accidiſſe reſpondit, quod, cum quotidie Deum pro Cæſare interpellaret, ad ipſum Cæſarem, Dei cauſam acturus, non admitteretur. Erat quidam, qui magna cura barbam nutriebat, ac cum ſingulis menſibus duos ille in eam

rem

rem aureos nummos impendere diceretur; Ita, inquit Polus, barba majoris erit pretii, quam ipsum caput. Atque hujus quidem generis permulta sæpe ex tempore dicebat, ut ii, quibus aliquis cum eo usus, ac familiaritas interceſſit, probe norunt; quorum nonnulla etiam interdum in aliquem eorum, qui adeſſent, quo tamen familiariter uteretur, ſalſius dicta, non prorſus aculeo carebant. In ſermone autem ita erat cautus, ita conſideratus, ut nullum ei verbum excideret unquam, ne in quotidianis quidem collocutionibus, maximeque familiaribus, quod imprudentius elatum videri poſſet, aut etiam minus eum deceret; nonnulloſque ex ejus intimis, ac domeſticis ſæpe audivi, cum dicerent id ſe in eo maxime admirari ſolitos. Amicitiam ſancte coluit. Integer erat ipſe, ac propterea adulationes, & mendacia averſabatur. Sententia autem cum aliqua de re in Senatu ei dicenda eſſet, ſic orationem temperabat, ut ne eos quidem offenderet, quibus forte refragabatur. Quapropter ex Cardinalibus nonnullos memini narrare, liberas eum in Senatu ſententias dicere ſolitum, ſed ita, ut nemini diſpliceret. Nihil in eo verſutum, nihil fallax inerat, aperta omnia, ſinceraque. Itaque cum in Belgis eſſet, quo tempore

tempore eum Julius III. ut ante demonſtratum eſt, legatum de pace miſerat: expectareturque ab urbe Roma neſcio quis, qui multorum literas afferre dicebatur, & ad ipſum Polum etiam nonnullas: cumque natus rumor eſſet, retentum eum in itinere, atque interceptas fuiſſe omnes literas; inciderat forte ſermo de quibuſdam, qui ob eam rem valde ſoliciti eſſe deberent, verentes, ne quid ſuorum conſiliorum, atque cogitationum emanaret. At ego, inquit Polus, ab hac ſolicitudine plane ſum liber. Optandum enim mihi eſſet potius evenire, ut, quæ a me geruntur, palam fierent omnia. Honeſta ſane vox, atque eo homine digna, qui ſibi conſcius eſſet, nihil ſe non rectum, & laudabile agere, aut cogitare. Tanta fuit ejus manſuetudo, & clementia, ut, ſi quis ipſum offendiſſet, nihil de ulciſcendo cogitaret, omneſque injurias facile remitteret, atque condonaret. Viterbii tres Italos, necem ſibi molientes, liberari juſſit. Duos item Anglos Capranicæ, quo ipſe ob æſtivos calores vitandos ſeceſſerat, comprehenſos, qui ad eum trucidandum ab Henrico Rege ex ultima uſque Anglia ſubmiſſi erat, necari noluit, cum ad ſe unum eam injuriam pertinere diceret; nec durius in illos animadverti

paſſus

passus est, quam ut paucos ad dies ad tri-
remes relegarentur. Illud etiam fere ob-
servabat, si quis suorum ei aliquando esset
objurandus, ut eo tempore id faceret, quo
nec ipse iratus esse videretur, & sua mo-
nita ab eo, quem moneret, quietiore ani-
mo excepta, plus proficerent. Jam Chri-
stiana charitas ita in ejus actionibus eluce-
bat, ut omnibus se locis proferret. Si
quis ex domesticis in morbum incidisset,
non id solum curabat, ut ne quid ei de-
esset, sed persæpe ipse decumbentem invi-
sebat. Idem omnibus bene cupiebat, om-
nibusque auxilio esse studebat. Quare mul-
ti docti homines ad eum sæpe confluebant.
In iis erant aliquando, qui pietatis simu-
latione pravam doctrinam obtegerent, &
optimi viri de se opinionem fallerent.
Quæ res Polo apud nonnullos fraudi fuit,
eos præsertim, qui natura ad accusatio-
nem, quam ad excusationem sunt proni-
ores. Is vero cum forte in aliquem inci-
debat, quem prava aliqua opinione, &
ab Ecclesiæ doctrina abhorrenti laborare
intelligeret, non acerbis eum accusationi-
bus, & inhumanis quibusdam objurgatio-
nibus acriter insectabatur, sed leniter, a-
miceque admonebat, & ita ad sanitatem
reducere conabatur. Eos enim, qui ne-
que publici, neque contumaces, & obsti-
nati

nati hæretici essent, sic accipiendos esse arbitrabatur. Atque hac quidem tractandi hæreticos homines commodissimam esse rationem non semel expertus est. Ea fuit prudentia, ut tamen simplicitatem quandam, & animi candorem in eo minime desiderares. Ita fiebat, ut omni sublata affectionum perturbatione, nullisque menti oblatis tenebris, quæ eventura essent, facile provideret; simulque daret operam, ut, quæ nocitura essent, declinaret. Nec vero ullam unquam juvandæ patriæ occasionem prætermisit, de cujus salute, & commodis nullum cogitandi finem faciebat. Cum Roffensem Episcopum, & Thomam Morum Henricus Rex in custodiam tradidisset, & capitis utrunque damnare propter religionem constituisset; ne, si hoc fieret, universum Angliæ regnum immanem carnificinam subire cogeretur, Patavio familiarem quendam suum magna celeritate per dispositos equos ad Cæsarem misit, qui ei demonstraret, quantam ea res toti regno, atque in primis Reginæ, ejus materteræ, perniciem esset allatura. Eadem prudentia, & patriæ charitate adductus, audita Henrici morte, consicio Pont. Max. Richardum Hiliardum Anglum, qui Romæ erat, in Galliam misit, ut, si posset, tutum sibi in Angliam

trajectum

trajectum impetraret. Nam cum regnum ad Edvardum, pene infantem adhuc, devolutum cerneret, præclaram sibi adjuvandæ patriæ occasionem oblatam existimabat, non desperans futurum, ut tali tempore illud regnum ad Ecclesiæ unitatem revocari posset, atque ita bella civilia, & externa etiam, quæ illi a Gallia & Scotia imminebant, & post etiam consecuta sunt, evitaret. Res adversas, & calamitates tam forti, magnoque animo semper tulit, ut, ei hac virtute pares qui essent, paucos admodum memoria nostra fuisse existimem, superiorem vero neminem. Non erat autem hæc fortitudo ejus generis, quæ ex Philosophiæ præceptis hauritur, sed tota ex magna quadam in Deum fiducia manabat. Nempe quidquid eveniret, id Dei voluntate, aut permissu evenire, atque id ipsum quam rectissime, plane persuasum habebat, nosque ad omnia sic animatos esse oportere, ut, quamvis acerba nobis acciderent, tamen omni abjecto dolore, de iis quoque gratias Deo ageremus; præsertim si nulla nostra culpa evenissent. Ita calumnias, obtrectationes, invidiam, exilium amicorum, & consanguineorum interitum magno, constantique animo perferebat. Ejus rei multa possem afferre exempla, sed hoc

uno

uno contenti erimus. Quodam die cum multas ex Gallia, atque aliis ex locis literas accepiſſet, mihique mandaſſet, ut iis reſponderem; tum ego literas in unum faſciculum colligens, cum quaſdam Anglica lingua ſcriptas vidiſſem: Ad has vero, inquam, non eſt, quod ego reſpondeam, cum ejus linguæ plane ſim ignarus. Ille minime turbato vultu: Utinam vero, inquit, eas & legere poſſes, & intelligere. Lætum enim nuncium afferunt. Ejus ego nuncii cognoſcendi cupiditate incenſus, ut me quoque ejus participem eſſe velit, rogo. Tum ille, Equidem ſemper exiſtimavi, inquit, Dei beneficio ejus me fœminæ filium eſſe, quæ tum genere ipſo, tum virtutibus primaria eſſet. Qua de re maximas etiam Deo gratias habebam. Nunc vero non id ſolum, verum etiam majore me Dei beneficio auctum video. Matrem enim meam Martyrii gloria ornatam eſſe audio. Nam cum illa Catholicam fidem noſtram conſtanter retineret, neque eam deſerere ulla ratione vellet, Henrici juſſu ſeptuaginta jam annos natæ mulieri caput eſt amputatum. Hoc ſcilicet premium tulit laborum, quos in educanda ejus filia ſuſceperat. His verbis conſternato animo cum eſſem; Bono, inquit ille, animo ſimus. Hæc quoque ac-

cessit ad cæteros patronos, & advocatos quos in cœlis habemus. Postea in sacellum, ubi Deum precari solebat, secessit; ibique aliquandiu commoratus est. Egressus ad suos eundem semper vultum, eandem hilaritatem retinuit. Neque vero hoc ille faciebat, aut quod mediocriter matrem diligeret, aut quod non vehementer ab illa redemaretur, sed ea animi fortitudine, ut dictum est, munitus erat, ut his fortunæ telis de constantia sua dejici non posset. Sic prorsus nuncium tulit de fratris sui, natu maximi nece, cui Rex caput, una cum duobus aliis ejus consanguineis, religionis causa, præcidi jusserat: Sic alias complures calamitates, & res adversas. Atque in his quidem quemadmodum fortiter se gerebat; ita in secundis rebus humiliter; ut neque alteris ullo modo efferretur, neque alteris deprimeretur. Sic paupertatem tanquam dives; opes tanquam pauper tulit. Natura magis ad literarum studia, & contemplationem, quam ad actiones propensus erat. Ita juvenis & Principum aulas, & hominum frequentiam fugiebat; ac ne tum quidem, cum Cardinalis creatus est, hanc suam consuetudinem deposuit, sed quoties poterat, ad monasteria, & loca solitaria sese recipiebat. Magnæ diligentiæ fuit, magnique

studii,

ſtudii, nec ceſſabat unquam, aliquid ſcribens ſemper, aut meditans, quod ſe dignum eſſet, & ad Dei gloriam inprimis, atque aliorum utilitatem pertineret. Nec vero etiam non moleſtum illi erat, ſi quos cerneret otioſos, ac deſides; quod hinc nimirum, tanquam ex quodam fonte libidines, & ſcelera fere omnia, atque flagitia manare probe intelligeret. Quare illam quoque vulgi, & imperitorum hominum opinionem vehementer deteſtari ſolitus erat, qui nobilis viri putarent eſſe, nihil agere. Quo quidem negabat eſſe quidquam ab ipſa nobilitate alienius, quippe quam maxime negotioſam eſſe oporteat, non otioſam. Ac cum ex oppidis Eccleſiaſticæ ditionis, quæ ſingulis Cardinalibus ſingula attribui ſolent, Balneo regium ei obtigiſſet, ibique homines otio admodum deditos offendiſſet, ut huic incommodo aliqua ex parte mederetur, pecuniam civitati mutuam dedit, qua illi adjuti, lanificii officinam aliquam inſtituerent, atque ita eam artem colendo, non prorſus otioſam, ac deſidem vitam agerent. In rebus autem gerendis tardior nonnunquam viſus eſt, propterea quod non tam celeritatem actionis, quam temporis opportunitatem ſequebatur; ſibique ejus rei, quæ agenda eſſet, quaſi maturi-

tatem quandam expectandam putabat. Qua quidem ratione multa sæpe ex sententia confecit; ac si quis suorum, quod interdum accidit, cum ipso ageret, ut remota omni cunctatione id fieret, quod visum esset, instaretque vehementius; rogabat, ne se de gradu suo dimoveret. Sibi enim perinde evenire, ac si quis equum gradarium acrius urgeret; qui quidem nihil aliud assequeretur, nisi ut veheretur incommodius. Adolescentulus, ut antea demonstravimus, linguarum cognitioni, & humaniorum literarum studiis, atque inprimis eloquentiæ operam dabat. Sed postquam ad Philosophiæ, & Theologiæ studia animum adjecit, non maximam styli curam habuit. Eum tamen, præteriti temporis exercitationibus, scribendi usum, & facultatem sibi comparaverat, ut elegans oratio, multaque dicendi ornamenta sponte sua occurrerent scribenti, atque inciderent, quemadmodum ex plurimis ejus scriptis, quæ penes Cardinalem Moronum sunt, perspici potest. Asiaticum dicendi genus sectabatur, propterea quod ei ob admirabilem ingenii fœcunditatem, pene innumerabiles qualibet de re sententiæ, tanquam ex perenni quodam fonte affluebant. Cum aliquid legendum sibi proponebat, omnem diligentiam, & studium

ſtudium ad lectionem afferebat. Ita facile, quæ legiſſet, meminerat. Hiſtoriarum omnis temporis per magnum uſum habuit. Platonis magis, quam Ariſtotelis lectione delectabatur. Sed ut primum ſacras literas attigit, utrunque de manibus depoſuit, neque aliud poſtea ſtudiorum genus ſequutus eſt. Ac primum quidem veteres, tum græcos, tum latinos interpretes diligenter evolvit; ſed poſtea miſſis aliis, biblia tantum retinuit, in quibus omne ſtudium collocavit. Et ſane ita omnes utriuſque teſtamenti cognitos locos habebat, ut nihil eum tota vita aliud egiſſe crederes. Permulta in iis explicandis, atque interpretandis pie admodum, & præclare cogitare, atque invenire conſueverat. Audivi Theologos eximios, cum dicerent, ſe, qui ſacræ ſcripturæ majorem, quam Polus, cognitionem haberet, vidiſſe neminem. Hoc habebat in more poſitum, ut, quæ legiſſet, pleraque ſuis commentationibus explicanda ſibi ſumeret; quas poſtea cum aliorum in eadem loca interpretationibus conferebat. In Epiſtolis autem D. Pauli tractandis, atque intelligendis, quam ille optimam eſſe rationem duxerit, oſtendit Hieronymus Seripandus Card. vir ſumma tum doctrina, tum pietate præditus. Sic enim ait in ſuis

in ejuſdem de Pauli Epiſtolas commentariis.

" Polum Card. cum de ratione, ac via, " qua Pauli Epiſtolarum latentia, involuta, & obſcura loca aperiri, evolvi, & " explicari poſſent, conſuleretur, reſpondere ſolitum accepimus: hanc ſibi videri ad eam rem proximam, & quaſi " compendiariam viam, ſi quis id ageret, " ut poſteriorem earum Epiſtolarum partem, quæ de Chriſtianis moribus eſt, " primum legeret, intelligeret, vitaque, " ac factis exprimeret; deinde ad priorem, in qua de decretis, quæ δόγματα " Philoſophi vocant, ſubtilius, & acutius diſputatur, accederet. Digna profecto tali, ac tanto viro ſententia, cujus erat præclara eruditio, atque doctrina, mores vero caſti, religioſi, & integri. Videbat ſcilicet puros, mundos, atque in divinis præceptis exercitatos animos facilius, atque proclivius obſcuriora quæque penetrare poſſe: contra vero, qui quæ clariora, & apertiora in ſanctis libris ſunt, negligant, eos ab occultioribus, ſanctioribuſque myſteriis, tanquam prophanos a ſacrarum ædium liminibus arceri. Hæc Seripandus. Illud etiam minime prætereundum videtur, quod de eadem re ſanctiſſimus

mus ille vir dicere ſolebat; iis, qui ad divinarum literarum ſtudia ſeſe conferrent, tanquam ſecretiorem templi partem ingredienti bus, humili oſtio, auguſtoque tranſeundum eſſe: nimirum ad earum intelligentiam aſpirare neminem ingenii magnitudine, aut humanæ doctrinæ præſtantia elatum, & inflatum, ſibique nimis præſidentem, ſed qui animi demiſſionem afferret, ſuique deſpectionem, quique intellectum ſuum fidei, ut ait Apoſtolus, captivum traderet. Hoc item frequenter admonebat, qui ſacris literis ſtudere vellent, caverent maxime, ne eo conſilio, ac mente ad earum lectionem accederent, ut vel de his ad oſtentandam doctrinam diſputarent, vel hujuſmodi ſcientia honores ſibi, ac divitias compararent. Utranque enim rationem ab hoc ſtudii genere alieniſſimam eſſe, ad quod adhiberi oporteret in primis divinas precationes, atque, ut dictum eſt, animum humilem, & ab omni ambitione, & cupiditate vacuum.

Multa reliquit præclare ſcripta; in quibus ſunt libri illi quatuor, typis impreſſi, ad Henricum VIII. Angliæ Regem. Libellus item iis præpoſitus, loco proœmii, ad Edvardum Henrici filium. De Concilio liber unus. De officio item Pontificis

Poli operum Catalogus.

tificis Max. dialogus, quem in conclavi eo tempore, cum de se Pontifice eligendo ageretur, scripsit. De eadem re libri quinque extra conclave scripti. Libellus de Ecclesia ad veterum morem, ac disciplinæ formam revocanda. Volumen de modo concionandi, satis magnum illud quidem, sed imperfectum. Libellus de restituendis Ecclesiæ bonis, ad Philippum, & Mariam Angliæ Reges. Libellus item de natali die Christi, servatoris nostri. Oratio de pace ad Carolum V. Cæsarem, & ad Henricum Gallorum Regem. Commentarios in Esaiam, multasque præterea commentationes tum in Davidis hymnos, tum in alios scripturæ sacræ libros reliquit: sed pleraque inchoata, ac rudia, & quæ ab aliis, dum ipse interpretaretur, excepta, ac literis mandata sunt. Extat ejusdem catechismus, & de passione Christi dialogus, multaque alia, quæ non perfecit. Sunt plurimæ Epistolæ, verborum elegantia, & sententiarum gravitate plenæ, in quibus illud præcipuum, atque insigne, quod Christianam pietatem in primis redolent: quod quidem in paucis admodum reperias, qui latine, ornateque scribendi laudem consecuti sunt. Scripsit etiam Anglice orationem, quam ad concilium totius regni Angliæ tum habuit,

buit, cum id regnum ad Ecclesiæ unitatem revocatum est. Præterea homilias tres: quæ in latinum sermonem conversæ sunt. Omnia autem, ut spero, in lucem aliquando prodibunt. Plurimum divinis precationibus, & contemplationi vacare solitus erat. Singulis Dominicis diebus, ante quam sacris initiaretur, sacrosanctam Eucharistiam sumebat. Cum in solitaria aliqua loca secedebat, ipse sacerdoti rem divinam facienti ministrabat. Id quod mihi Episcopus Asaphensis narravit, qui diu illi a sacris fuit. Postea vero, sacris ordinibus susceptis, cum rarissime, singulis Dominicis diebus ipse sacrificabat. Omnium Ecclesiæ rituum fuit observantissimus, ac quamvis ejus valetudini plurimum obessent pisces, atque inedia: tamen adduci nunquam poterat, ut solemne quadragesimæ jejunium interrumperet, nisi morbo coactus, in quem ob id fere quotannis incidebat. Malebat scilicet homo egregie pius minus valere, quam suo exemplo ullam offensionis causam alicui præbere. Atque hæ quidem tot, tamque insignes Poli Card. virtutes omnibus tota Europa ita cognitæ, atque perspectæ fuerunt, ut multi etiam, qui eum nunquam vidissent, ejus nominis studiosissimi, atque cupidissimi fierent. Narravit mihi magnus

Poli devotio.

Rituum & Præceptorum Ecclesiæ Polus observantissimus.

Caroli V. de Poli probitate vox & judicium.

magnus quidam vir, Carolum V. cum de Romana curia sermo esset, ei dixisse, qu Card. Polo melior esset, se nòvisse nem nem. Jam quid de eo Henricus Galli Rex sentiret, supra ostendimus. Celebr est etiamnum ejus nomen apud omnes bo nos, magnaque cum laude, sæpenumero in sermonibus usurpatur: atque ita qui dem gratiosa est apud multos princips ejus memoria, ut, si quem in ejus famili aliquandiu versatum esse intelligant, eum, vel hanc unam ob causam, benevolenti complectantur, eique libenter faveant, il lud quidem silentio præterire non possum, quod Christophorus Madrutius Card. Tridentinus, vir magno ingenio, & pru dentia, qui illum etiam Sanctum Polum nominare solet, frequenter in ore habe, duas sibi res magnæ gloriæ loco ducere, unam quod Carolo V. Cæsari operam na vaverit; alteram, quod Card. Polum no verit, & amicum habuerit. Magna ei cum plurimis viris & pietate, & doctrina

Poli interiores in Cardinalatu amici.

insignibus consuetudo fuit. In Cardinalatu præter cæteros familiarissime usus est Contareno, Bembo, Sadoleto, Morono, Mafæo, optimis, & ornatiss. Cardinalibus: Galeatio item Florimontio Sinuessa Episcopo, homine cum omni doctrinæ genere perpolito, tum vero singulari quadam

dam integritate, ac morum ſuavitate præ-
dito, quem vetere Polus conſuetudine, &
amore ſibi conjunctiſſimum habebat. Erant
alii præterea docti, ac pii viri, quibus
magna cum Polo familiaritas, atque uſus
intercedebat. In his principem locum fa-
cile obtinebat Egidius Fuſcherarius, qui
tum Romæ ſacri Palatii magiſtrum, ut
vocant, agebat; nunc eſt Mutinenſium
Epiſcopus, vir pietate, ac divinarum li-
terarum ſcientia præſtantiſſimus. Victo-
ria Columna, Marchionis Piſcariæ con-
jux, ejus, qui ob rerum geſtarum magni-
tudinem bellica gloria maxime floruit,
magni ingenii, & ſummæ pietatis fœmina,
plurimi eum faciebat. Moriens etiam no-
vem millia aureorum nummum ei legavit;
quam tamen Polus pecuniam noluit attin-
gere; ſed ejus fratris Aſcanii filiæ, quæ
poſtea in matrimonium data eſt Garziæ
Toletano pro regis Neapolitani filio, do-
navit, & ſimul cum reliqua ejus dote nu-
merari voluit: rem præclaram ſane, ex-
celſique, & liberalis animi, nec horum
temporum, aut morum.

Hæc habui, quæ de tanti viri ſtudiis,
moribus, actionibus veriſiſſime commemo-
rarem, quæ quidem meæ, & eorum, qui
hæc legent, utilitatis cauſa potiſſimum
collegi, non quod ad ejus nominis glori-
am,

am, quæ per se clarissima est, meis scrip-
tis addi quicquam posse confiderem. A
si quis animo totam ejus vitam percurrat
& diligenter secum reputet, quam multa
ille calamitates, & labores Ecclesiæ cath
pertulerit, is, credo, facile eum in nu-
merum Christi martyrum ascribet. Cui
sit honor, & gloria in omnes æterni-
tates.

FINIS.